AMOENITATES LITERARIÆ,

Quibus

VARIÆ OBSERVATIONES,

Scripta item quædam anecdota & rariora Opuſcula exhibentur.

TOMUS UNDECIMUS.







FRANCOFURTI & LIPSIÆ,
Apud DANIEL. BARTHOLOMÆI & FILIUM.
M DCC XXIX.

BIGAE VIRORUM
DE
MEMMINGA NOSTRA
PRAECLARISSIME MERENTIUM
GENEROSISSIMO
ATQUE
CONSULTISSIMO
DOMINO
JOANNI CHRI-
STOPHORO
HARTLIEB
DE WALSPORN
J. V. LIC.
ET
REIPUBLICAE PATRIAE
A CONSILIIS
DOMINO PATRONO
ATQUE COMPATRI SUO
MAXIMOPERE HONORANDO.

)(2 NEC

NEC NON

PERQUAM GENEROSO

ET

CONSULTISSIMO

DOMINO

JOANNI SI-
GISMUNDO
SCHÜTZIO,

J. V. LIC.

AC

TABULARUM PUBLICARUM
DIRECTORI,

DOMINO ET PATRONO
SUO ITIDEM SINGULA-
RITER COLENDO

IN

IN

PUBLICUM GRATAE DEVINCTAE-
QUE MENTIS PIGNUS
PRO TOT PERINSIGNIBUS PRO-
PENSAE VOLUNTATIS AC FAVEN-
TISSIMI ANIMI A PRIMO INDE IN
LYCEO PATRIO CONDISCIPULA-
TU ET JUCUNDO POSTHAC IN
ACADEMIA JENENSI CONTU-
BERNIO AD HANC US-
QUE DIEM DOCU-
MENTIS
HOC, QUICQUID EST, LIBELLI
SACRUM DEVOTUMQUE ESSE
JUBET,

ET SIMUL
PERENNANTI EORUM BENEVOLENTIAE SE SUAQUE STUDIA
EA, QUA DECET, OBSERVANTIA
COMMENDAT,
EXOPTATISSIMOS CONSILIORUM
ET NEGOTIORUM OMNIUM
SUCCESSUS,
VEGETAS AC FLORENTES SEMPER
ANIMI CORPORISQUE VIRES,
LAETISSIMA DENIQUE OMNIGENAE FELICITATIS INCREMENTA
IIS TOTO PECTORE APPRECANS,

Amplissimis Eorum
Nominibus

addictissimus

JO. GEORGIUS SCHELHORNIUS.

XENO-

XENOPHON.

Ὀυ πανυ γεράδιον ἐςιν ἑυρειν ἔργον, ἐφ᾽ ῳ̇ ὀυκ ἀν τις ἀιτιαν ἐχοι. Χαλεπον γαρ ὀυτω τι ποιησαι, ὡςε μηδεν ἁμαρτειν.

Haud facile opus aliquod reperias, cujus nullam partem quisquam reprehendat. Difficile namque eſt, ita quicquam peragere, ut nihil erres.

Series Articulorum hujus Tomi.

Q.D.B.V.



Q. D. B. V.

I.

DE

JOANNE CAMPANO ANTI-TRINITARIO DISSERTATIO.

§. I.

DUdum equidem cum aliunde, tum e Christophori Sandii Bibliotheca Anti-Trinitariorum (*a*) mihi cognitum erat, Joannem Campanum inter SS. Triados hostes referri: quo autem jure, quave injuria id fiat, me prorsus latebat, donec aliquo ab-

(*a*) Pag. 17. ubi hæc pauca de illo habentur: *Johannes Campanus, vel Cliviensis, vel Juliacensis, Wittebergæ docuit, floruitque A. 1530. & 1532. scripsit contra mysterium Trinitatis, & Spiritus S. æternitatem: vel, ut ajunt, eum non esse personam distinctam a Patre.*

hinc tempore in manus meas quidam ejus libellus incideret, e quo, illum haud ab re iis accenseri, perspexi. Operæ igitur pretium me facturum existimavi, si ob summam libri raritatem potiora istius argumenta breviter enarrarem, præmissis simul iis, quæ de Viro turbulento & sua quidem ætate satis famoso, hodie vero perobscuri nominis, comperire mihi licuit. Animum adjiciebat eruditus Historiæ Michaëlis Serveti scriptor, Henricus ab Allwoerden, qui non varia duntaxat loca, in quibus hujusce Campani mentio instituitur, mihi etiam maximam partem, antequam ista legerem, observata annotavit, verum etiam dignum hunc hominem, cujus vitam diligentius aliquis consignaret, judicavit, adjiciens, extare de eo narrationem quandam manu exaratam in Bibliotheca Gothana, cujus Vir Vener. D. Ernestus Salomo Cyprianus in Catalogo Codicum MSS. illius Bibliothecæ meminerit (*b*); Sed ipsum illum laudatum Catalogum (*c*) evolvens deprehendi, Theologum

(*b*) In Historia Michaelis Serveti p. 28. sq.

(*c*) Pag. 109. Ex ipsis præterea humanissimis Summe Vener. D. Cypriani, qui Campanum in Histor. Eccles. Goth. P. III. p. 222. inter primos Socinianos rejecit, literis d. 4. Nov. anni superioris ad me datis

logum iſtum plurimis in Eccleſiam puriorem meritis maxime inſignem, nullam ibi hujusmodi relationem manu exaratam commemoraviſſe, verum locum modo quendam e Theologi cujusdam Pontificii indice Scriptorum eccleſiaſticorum de Serveto & Campano exhibuiſſe, adſperſis de hoc nonnullis notatu dignis. Haud ita pridem quoque Præſtantiſſimus Beyſchlagius meus in quarto Sylloges ſuæ faſciculo (*d*) ſpem nobis excitavit, fore, ut, quamprimum liceret, epiſtolium B. Martini Lutheri, in quo Campani mentio habetur, a Viro quodam Celeberrimo (*e*), quocum ipſe id a ſe ex ἀυἰογράφῳ deſcriptum communicavit, obſervationibus illuſtratum publicæ luci exponatur; quod ut quantocyus fiat, exopto. Interim vero ego pauca illa, quæ poſt operoſam ſane & multam inquiſitionem de iſthoc homuncione cognoſcere mihi licuit, heic loci in medium proferre conſtitui, aliis forſitan anſam ſic plura de ipſo ſuppeditandi præbiturus.

tis cognovi, nihil ejusmodi in Bibliotheca Gothana extare.

(*d*) Pag. 902. ſq.

(*e*) Eſt is Summe Reverendus D. Zeltnerus, qui in Hiſtoria Crypto-Socinismi Altorfini, diu deſiderata & Lipſiæ jam ſub prælo ſudante epiſtolium illud exhibebit.

§. II.

Fuere autem & alii duo Viri eruditi, noſtro ὁμώνυμοι, & propterea ab ipſo probe diſcernendi. Primus natione Lombardus aliquot ante eum ſæculis, & quidem juxta Volaterranum circa annum Chriſti milleſimum floruit, & Euclidem ex Arabico vertit, quem tamen, Arabum interpretationem perſecutus, judice Huetio (*f*), fœde perverſum nobis reliquit. Joannes Trithemius (*g*) eum philoſophum & aſtronomum omnium opinione ſuo tempore celeberrimum, ingenio acutum, ſermone ſcholaſticum, divinarum ſcripturarum non ignarum, calculatorem & computiſtam inſignem vocat, ingeniique ſui non pauca opuſcula, quorum lectio eccleſiarum rectoribus non ſit ſpernenda, edidiſſe memorat. Jacobo autem Philippo Bergomati (*h*) doctor celeberrimus, philoſophus & aſtronomus maximus, ſua tempeſtate magno in pretio exiſtens, audit. Alter Jo. Campanus Voidnianus, poëta haud ignobilis, ſub Imperatore Rudolpho II. vixit, atque duplicem Turcico-

(*f*) De claris Interpretibus p. 227. ſq. edit. Stad. A. 1680.

(*g*) De Scriptoribus Eccleſiaſt. f. 83. edit. Hamb.

(*h*) In Supplem. Chronic. f. m. 207.

cicorum Tyrannorum, qui inde ab Otomanno usque ad Mahometum III. tum regnantem rebus Turcicis præfuerunt, deſcriptionem, unam in genere heroico, alteram elegiaco, in qua ipſi Otomannici Principes res a ſe geſtas κατὰ προσωποποιΐαν recenſent, reliquit, quarum utraque deliciis Poëtarum Germanorum (*i*) inſerta eſt. Is puriori religione abjecta ad Pontificios transgreſſus ad uxorem dixiſſe fertur: *hodie ſalus facta eſt domui noſtræ:* illa vero reſpondiſſe: *hodie maledictio in domum noſtram introducta eſt.* Tandem autem deſperabundus vitam finiit (*k*). Neſcio an hunc etiam auctorem agnoſcat *Czechias, ſeu Sciagraphia Ducum & Regum Bohemiæ*, cum iconibus Gorliciæ A. 1653. in 8. typis excuſa, & opuſculum, *liminis* titulo inſignitum, & Caſp. Dornavii Amphitheatro ſapientiæ Socraticæ joco-ſeriæ inditum (*l*). Quem vero Kœnigius in Bibliotheca ſua (*m*) habet, Jo. Campanus idem eſt cum Jo. Antonio

(*i*) Part. II. p. 72. ſqq.
(*k*) Vid. Hiſtor. perſecutionum Eccleſiæ Bohemicæ. Cap. CVI. p. 414.
(*l*) Vid. Bibliotheca Menckeniana p. 385. & 786. edit. II.
(*m*) Pag. 158.

Campano (*n*), cujus poſt ſtatim meminit: is enim de fugienda ingratitudine ſcripſit, atque vir magnus & admirabilis ingenii ab Eraſmo dici meruit. Joannis cujusdam Campanii non ſine laude meminit Jo. Pierius Valerianus, eumque in infelicium literatorum numerum collocat (*o*).

§. III.

Miror vero quam maxime, tam paucos noſtri Campani mentionem feciſſe, cum tamen haud leves ſtrepitus ævo ſuo excitarit, variisque ſcriptis ſaniorem de Deo & religione doctrinam impugnaverit. Ne nomen ejus quidem attigit ſcriptor coævus Joannes Fabri ab Haylbrun, Cathedral. Eccleſiæ Auguſtanæ a concionibus, in libro Ingolſtadii A. MDLI. in 4. edito, cui titulum fecit: *Fructus, quibus dignoſcuntur hæretici; Eorum quoque nomina, ex Philaſtro, Epiphanio, Auguſtino, Euſebio, &c. & quibus armis devincendi.* Qui ſi illius notitiam habuiſſet, certe haud neglexiſſet eum adji-

(*n*) Idem etiam mendoſe Jo. Campanus vocatur in apologia pro Luthero ad urbem Romam, quæ extat in Celeb. Kappii *Nachleſe nützlicher* Reformations-*Urkunden* Part. II. p. 483.

(*o*) De Litteratorum infelicitate Lib. I. p. 299. edit. Menken.

adjicere Balth. Fridbergero, Jo. Oecolampadio, Zwinglio, Matthiæ Flacio, & Martino Luthero, quem omnium hæreticorum ducem atque magiſtrum ſepultas atque ſopitas hæreſes fere omnes ſuo peſtifero atque maligno auſu ab infernalibus orcis revocaſſe, atque in totius fidei Chriſtianæ miſerabilem jacturam ſuſcitaſſe, improbo ore affirmare veritus non eſt. Silentio illum prorſus prætermiſit Fridericus Staphylus, itidem συγχρονος, in libro vernaculo conviciis pleno *de Proteſtantium Concordia* longa ſerie hæreticos, partim ne fando quidem unquam auditos, recenſens, eosque omnes e B. Lutheri noſtri ſchola ac diſciplina prodiiſſe proterve mentitus: cum tamen occaſio ipſi, Campano locum inter recentiores vel Arianos vel Samoſatenianos cum aliis, quos nominat, tribuendi, haud defuiſſet. Multus vero idem eſt in recitandis impiis dogmatibus alius Anti-Trinitarii, Lucæ nimirum Sternbergeri, Henrico quoque Spondano (*p*) poſtea memorati, ſed a Sandio in Bibliotheca Anti-Trinitariorum omiſſi. Neque meminit Campani in Chronico ſuo

(*p*) In Continuat. Annal. Baronii Tom. II. ad Ann. 1561. num. XXXIII. f. 613.

Sebaſtianus Franckius (*q*), ejusque continuator Calonius Ghönneirus, in tertia illius parte prolixum hæreticorum catalogum alphabeticum exhibentes, inque eo præter hujus farinæ alios Ludovicum Hetzerum Anti-Trinitarium commemorantes. Fruſtra quoque vel nudum Campani nomen apud celebres hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptores, Lucam Oſiandrum, Jo. Henricum Hottingerum, Natalem Alexandrum ac plures alios quæras, nec non in Jo. Wigandi de Servetianismo ſeu de Anti-Trinitariis libro, in Davidis item Chytræi Chronico Saxoniæ, & Auguſtanæ Confeſſionis Hiſtoria (*r*), cum tamen ejus in literis ad illum datis Philippus Melanchthon meminerit, uti ſuo loco videbimus. Nec obvius eſt in catalogo Anti-Trinitariorum juxta ordinem nationum diſpoſito, quem Theologus idemque Polyhiſtor ſummus D. Chriſt. Matthæus Pfaffius in Introductione in hiſto-

(*q*) Cui tamen probe cognitus fuit, quod ex infra dicendis eluceſcet. Licet autem Campanum pro hæretico non habuiſſe Franckius videatur, ipſe tamen in hæreſiologiæ ſuæ præfatione monuit, ſe eos etiam enarrare, quos alii præter meritum in hæreticorum cenſum retulerint: atque adeo hic etiam Campano locus fuiſſet.

(*r*) In qua memorandus fuiſſet ob ea, quæ inferius §. 7. a nobis dicentur.

historiam Theologiæ literariam notis amplissimis illustrata (*s*) dedit. Petro Bælio vastissimæ & lectionis & eruditionis Viro eum fuisse incognitum, inde auguror, quod, cum Michaelem Stifelium extremum mundi diem A. 1533. d. 3. Oct. futurum vaticinatum esse narrasset, adjecerit (*t*): *Bredenbach assure qu' un certain Campanus fit la meme chose dans le païs de Juliers :* quæ de nostro intelligenda esse infra videbimus. Nemo autem, nisi cui ipse Bælius ignotus est, dubitabit, quin, si hominem penitius novisset, hac occasione in singularia Campani excursurus fuisset. Seckendorfius quoque de illo nonnisi obiter & tanquam de parum sibi noto verba facit, scribens (*u*): *Venerat* (Wicelius) *anno* 1532. *in suspicionem doctrinæ Antitrinitariæ, quam tum non solum Michaël Servetus Hispanus vulgaverat, sed & quidam Joannes Campanus, ex Juliacensi regione, qui Wittenbergæ Theologiæ studio operam dederat, defendebat : Campanus autem hospitio Wicelii Niemeccæ aliquandiu usus erat.* Immo ipse Gothofredus Arnol-

A 5 dus,

(*s*) Part. II. p. 340. sqq.
(*t*) In Diction. Crit. Tom. IV. f. 3076.
(*u*) In Histor. Lutheranismi Lib. III. Sect. 7. §. XXIV. f. 65.

dus, in enumerandis, & si qua fieri potuit, excusandis ac defendendis hæreticis maxime sedulus, in hæresiologia sua eum fere intactum prætermisit, in transcursu tantum illius mentionem injiciens, ubi nimirum in historia Wicelii inter causas alienati ejus a Lutheranorum partibus animi eam quoque numerat, quod ob exceptum hospitio Campanum molestia ipsi creata fuerit (*x*).

§. IV.

Causam rimatus, quare hujusce Viri & nomen & scripta tantum non interciderint, hanc invenisse mihi videbar, quod neque Lutherus, neque Melanchthon, neque alii eorum συνεργοι dignum censuerint hominem, cujus φλυαρίας peculiaribus scriptis confutarent, contenti, suos privatim de iis monuisse, atque alicubi veluti ἐν παρόδῳ publice suum ab illis dissensum indicavisse. Quanquam nec metuendum facile erat, ne quis Lutherum vel Melanchthonem Campani commentis favere suspicaretur, cum hic apertum se illorum hostem professus, inque

(*x*) Part. II. L. XVI. C. VIII. §. 39. *Nun geschahe es*, inquit Arnoldus, *dass Er in seiner Pfarr zu Niemeck einen Wittenbergischen Studenten*, *Nahmens* Jo. Campanum, *eine Zeitlang beherbergte*, *welchen man dess* Arianismi *verdächtig hielt*, *&c.*

inque eos asperrime invectus fuerit. Et videntur quidem Viri summi consulto, ab operosa & ex instituto suscepta Campani refutatione abstinuisse, ne obscurum viri nomen sic illustrarent, atque lectoribus, novitatis avidis, scriptorum ejus legendorum desiderium inspirarent. Nec dubium est, quin Campanus, tantos viros publicos antagonistas nactus, e pugna cum ipsis gloriolam aucupaturus, cristasque altius erecturus fuisset. Confirmant hæc egregie, quæ in Lutheri colloquiis mensalibus (y) habentur: *Diesen verfluchten Unflat und Buben,* Campanum, *sol man nur verachten, und so bald nicht vvider ihn schreiben; denn da man vvider ihn schriebe, so vvürde er desto küner, stöltzer, und mutiger. Man verachte ihn nur, damit vvirt er am ersten gedempfft, denn er vvirt doch mit seinem schvvarm und* autoritet *nicht viel ausrichten. Da sprach M. Philip: sein Bedencken vvere, dass man ihn an den liechten Galgen hienge, und solchs hette er seinem Herrn*(Duci Juliacensi) *geschrieben* (z). Hinc Lutherus,

(y) Fol. m. 277.

(z) Videntur hæc equidem cum Melanchthonis lenitate, quæ tanta erat, ut a multis ipsi vitio verteretur, pugnare. Sed novimus eum & Serveti supplicium

rus, cum toties ipsi illum cum Arianis aliisque hujus furfuris nominatim refellendi occasio fuisset, ter tantum illius, quod ego sciam, publice veluti in transcursu mentionem habuit.

Nempe in epistola ad Casp. Güttelium Doct. & Pastorem Islebiensem disputationibus contra Antinomos præmissa (*a*), in qua inter reliquos Evangelii hostes Campani quoque & Serveti meminit, his tantummodo verbis. *Etliche haben auch wider die alten Lehrer, Pabst und Luther zusammengetobet, als* Servetus, Campanus *und dergleichen.* Et hæc ipsa verba repetuntur in præfatione quadam beati viri paulo ante ejus obitum scripta (*b*). In brevi autem confessione de S. Sacramento (*c*) A. 1544. edita inter cæteras sibi adversas de S. Cœna opiniones & Campani sententiam ita commemorat: *Der siebend. H. Geist,* Johan. Campanus, *machts also, nehmet hin, esset, das ist mein*

plicium suo probasse calculo. vid. Clar. Allwoerdenii Historiam Serveti p. 142.

(*a*) Tom. VII. Altenburg. f. 313.

(*b*) Quam cum aliis hujusmodi J. C. Sagittarius Tom. VIII. Altenburg. præmisit: sed ea ipsa præfatio integra superius memoratæ beati viri ad Güttelium epistolæ quoque annexa est, unde & verba citata hausimus.

(*c*) Tom. VIII. Altenb. f. 348.

mein Leib, corpus ſcilicet paneum. *Solt ſo viel heiſſen, das Brodt, ſo ich eüch gebe, iſt ein Leib oder Cörper für ſich ſelbſt, nicht mein lebendiger natürlicher Leib, ſondern ein todter, lebloſer Leib, vvie Stein und Holtz ein Leib iſt. Aber vveil es meine Creatur iſt, ſo iſts auch mein Leib, den ich geſchaffen habe. Diſs iſt der allerhöheſt heiliger Geiſt, vvider und über die andern alle, ohn daſs er dem Becker die ehre nimt, der dennoch auch etvvas am Brodt gemacht hat, und Gott nicht das Brodt, ſondern das Korn zum Brodt ſchafft.* Melanchthon vero, qui hominem patibulo potius quam refutatione dignum cenſuit, unico duntaxat in loco, quod mihi quidem conſtet, ſi ejus epiſtolas privatim ſcriptas excipiam, illum diſerte nominat. In diſputatione nimirum de excluſiva : *ſola fide* &c. (*d*) ejusque theſi XIV. quæ hæc eſt: *Scholaſtici, Campanus, & multi paſſim errant. Illi fidem intelligunt fidem formatam. Campanus dicit, fidem ſignificare ſimul fidem & opera. Alii fingunt alias cavillationes.* Ejus autem ne verbulo quidem meminit in refutatione Serveti & Anabaptiſtarum, in Locis communibus, in diſputationibus, ubi pro Filii & Spi-

(*d*) Tom. IV. Opp. a Peucero Wittebergæ A. 1564. editorum f. 480.

& Spiritus S. divinitate pugnat, & Servetum, Petrum Conyzam Lituanum (*e*) aliosque secus sentientes nominatim refellit (*f*).

Opera vero Campani ob argumenti rationem, utpote non contra Lutherum modo, sed & universum orbem Christianum scripta, nusquam publice divendita, verum potius oppressa fuisse arbitror, hincque tantæ eorum raritatis causam derivo. Hisce præmissis ad ipsam viri vitam enarrandam accedo.

§. V.

Quo anno Campanus natus mortuusque sit, ego juxta cum ignarissimis scio. Fuisse eum patria vel Cliviensem vel Juliacensem Sandius aliique tradunt. In Catalogo autem Sacramentariorum Wilhelmi Lindani Christomachiæ Calvinisticæ præfixo (*g*) nominatur Maes-Eykensis. Est vero Mæs-Eyk oppidum ad Mosam in comitatu Loots, Episcopo Leodiensi subjecto, situm (*h*). Cumque Campanus Lindano probe cognitus fuerit, quod ex sequentibus

(*e*) Hunc credo eundem esse cum Petro Gonesio, de quo Sandius in Biblioth. Anti-Trinit. p. 40. sq.

(*f*) v. g. Tom. IV. Opp. f. 586. 589. 605. 614. &c.

(*g*) Pag. 51.

(*h*) Vid. Lexicon Univers. Basileense. Part. III. f. 413.

bus patefcet, hanc ei patriam tribuere haud dubitarem, nifi Wicelii, familiariter aliquandiu ipfo ufi, eumque Juliacenfem plus fimplici vice vocantis, auctoritas obftaret. Fortaffis eo tempore oppidum illud ad Ducis Juliacenfis ditionem pertinuit, de quo tamen mihi non conftat. Literis operam dedit tum Duffeldorpii (*i*), tum in famigeratiffima id temporis Academia Colonienfi, e qua vero ejectus fuit, an quod peftifera illa dogmata, quæ poftmodum diffeminare contendit, jam tum foverit, an ob reprehenfam barbarorum fophiftarum ibi regnantium ftribliginem, mihi non liquet. Si Henricum Cornelium Agrippam audiamus, illa feveritate Colonienfes in eum præter jus atque fas ufi funt. Is enim aliis celeberrimis pariter ac innocentiffimis Viris ab iisdem indigniffime habitis illum aggregat in epiftola A. 1520. Coloniæ ex ædibus fuis fcripta (*k*) ad amicum, quem Cæfarem (*l*) vocat, nequiter a Colonienfibus Magi-

(*i*) Colligo id e Wicelii ad Joannem Saxon. Ducem & Elect. Apologetico, e quo deinde excerpta dabo. Ibi enim inter reliqua de Campano fcribit: *Si hæreticus eft, hæreticum Wittemberga dedit, aut certe Colonia, aut Duffeldorpium, non fecit Nymecia.*

(*k*) Quæ eft LX. Lib. II. Epiftol. Agrippæ p. m. 717. fqq.

(*l*) Forfitan Joannem Cæfarium intellexit.

Magiſtris Noſtris traductum, cui de injuriis illatis gratulaturus hæc verba inter cætera uſurpat: *Quid potuit tibi contingere illuſtrius, quam ab illis vituperari, a quibus nonniſi optimi & doctiſſimi quique ſemper odio habiti ſunt? quorum calculo te adnumerari, profecto non mediocris gloria. Quis enim ignorat, hos eſſe illos magiſtros, qui Joannem Campanum, inſigni doctrina & virtute virum, ſcholis ſecluſerunt? qui Petrum Ravennatem* (m)*, celeber-*

(*m*) Cæteri, quorum exemplo Agrippa amicum ſuum ſolatur, quum & hodie ſint quibusvis hiſtoriæ literariæ ſtudioſis cognitiſſimi, Campani vero & Petri Ravennatis memoria pene obſoleverit, non injucundum lectoribus meis fore ſpero, ſi de hoc quædam, prodigioſa ſane & notatu digniſſima, ipſis ejus verbis memoravero, ex illius libello, qui ſub titulo: *Phœnix, ſive ad artificialem memoriam comparandam brevis quidem & facilis, ſed reipſa & uſu comprobata Introductio* Coloniæ A. 1608. typis in 8. excuſus eſt. Ita autem is de ſe ipſo: *Dum eſſem juris auditor, nec vigeſimum vidiſſem annum, in univerſitate Patavina, dixi me totum Codicem Juris Civilis poſſe recitare: petii namque ut mihi leges aliquæ ad arbitrium aſtantium proponerentur; quibus propoſitis, ſummaria Bartoli dicebam, aliqua verba textus recitabam, caſum adducebam, facta per Doctores examinabam, lexque iſta tot habet gloſſas, dicebam, & ſuper quibus verbis erant poſitæ recordabar, contraria allegabam & ſolvebam. Viſum eſt aſtantibus vidiſſe miraculum. Alexander quidem Imolenſis diu obſtupuit. — — Lectiones etiam Alexandri Imolenſis, Paduæ legentis, copioſiſſimas memoria tenebam, & illas ex verbo*

leberrimum juris doctorem, urbe exegerunt? qui Hermannum Comitem Nuenarium, eruditissimum virum, nequissimis calumniis in tergo prosciderunt? qui Erasmum Roterodamum,

B

virum

---

verbo ad verbum in scripta redigebam, illas etiam postquam finierat, astante magna auditorum copia, a calce incipiens recitabam, ex ejusque lectionibus, dum in scholis audirem, carmina faciebam, & omnes earum partes in carminibus positas statim replicabam: & qui hoc viderunt obstupuere. — — Centum & quadraginta quinque autboritates religiosissimi fratris Michaelis de Mediolano Padua prædicantis, immortalitatem animæ probantes coram eo memoriter & prompte pronunciavi, qui me amplexus est dicens: Vive diu gemma singularis! o utinam te in religione viderem! — — Petii ego Doctor creatus in Universitate Patavina, ut mihi in cathedra sedenti aliquis de Universitate auditor unum ex tribus voluminibus digestorum, quod eligeret, præsentaret, locumque, in quo legere deberem, designaret. Dixi enim: super re proposita innumerabiles leges allegabo. — — Omnes prædicationes, quas in una quadragesima Magister Antonius Eremita Paduæ pronunciaverat, eo ordine, quo ipse dixerat, memoriter pronunciavi, & in scriptis ei dedi: quo viso, dixit, quod amplius Paduæ non prædicaret. — Prædicationes etiam Domini Matthei Veronensis Canonici regularis & viri eloquentissimi, quas in tota quadragesima fecerat, ipsi in scriptis dedi, quia memoriter tenebam, & in chartis reponebam. Dum Pistorii legerem, a Dominis Florentinis conductus, sermonem verbi Dei fratris Blasii de Plombino Eremitæ recitavi. — — Dominus Georgius vir illustris Paduæ præfectus, & in artificiosa memoria discipulus, dum litteras Ducales semel legeret, earum verba collocavi, & statim recitavi. Semel in scacchiis ludebam, & alius taxillos jaciebat, aliusque omnes tactus scribebat, & ex themate

mibi

virum & vita & doctrina omnium exceptione majorem: qui Jacobum Fabrum Stapulensem, unicum Peripateticæ philosophiæ reparatorem, insuper mathematicarum humanarumque quarum-

mihi proposito duas epistolas dictabam; postquam finem ludo imposuimus, omnes tactus scachorum & taxillorum, & epistolarum verba, ab ultimis incipiens, repetii. Hæc quatuor per me eodem tempore collocata fuerunt. — Dum essem Placentiæ, Monasterium Monachorum nigrorum intravi, ut illud viderem, in dormitorioque ejus, comitante monacho quodam, bis deambulans, monachorum nomina quæ in ostiis cellarum erant, collocavi: deinde congregatis eis nomine proprio quemlibet salutavi, licet, quem nominabam, digito demonstrare non potuissem. Mirabantur monachi, quo pacto ego peregrinus nomina eorum memoriter proferrem: ipsis mirari non desinentibus, dixi tandem: Hoc potuit mea artificiosa memoria. Quorum unus dixit: Ergo hoc Petrus Ravennas facere potuit, & non alius. *In capitulo generali Canonicorum Regularium Paduæ prædicationem Domini Deodati Vicentini eo ordine, quo ipsam pronunciaverat, recitavi, astante ipsius prædicationis auctore. Semel me traxit ad sui contemplationem Cassandra Fidelis, Veneta, virgo excellentissima: quæ dum legeret litteras Serenissimæ conjugis Regis Ferdinandi ad se missas, illas collocavi & recitavi. — Scribebat quidam illustrissimæ Ducissæ Eleonoræ privilegium, alius legebat: præsens eram, illudque ex verbo ad verbum locis tradidi, & ab ultima dictione incipiens totum recitavi. — — Omnes lectiones meas Juris Canonici sine libro quotidie lego, ac si librum ante oculos haberem, textum & glossas memoriter pronuncio, ut nec etiam minimam syllabam omittere videar.* Et quæ sunt alia stupenda plane divinæ memoriæ documenta, quorum omnium testes allegat, viros

rumcunque & divinarum literarum eruditissimum, suis sordibus asperserunt? Sed adversus Joannem Capnionem Phorcensem, Jurisconsultum clarissimum & arcanarum literarum variarumque linguarum peritissimum, tam pertinacissime pugnarunt, donec omnis eorum doctrina, fides, fama, autoritas simul perpetuum naufragium fecerunt, cum vulgatissima per universum orbem eorum inscitiæ, ignominiæ, perfidiæ, falsitatisque infamia facta est. En, quanta nunc tibi accessit gloria, a talibus bestibus incurri, & cum tantis splendidissimis heroibus connumerari. Integrum hunc locum exhibere haud piguit, ut eo dilucidius, quantorum virorum in censum Campanum Agrippa retulerit, appareat. Fateor autem, mihi primo intuitu visum esse, verba ista, quæ Joannem Campanum concernunt, minus bene in nostrum convenire, partim quod principibus ibi permistus Achivis, Petro Ravennati, Nuenario Comiti, Fabro Stapulensi, Erasmo, Reuchlino compareat, partim vero, quod, quem Agrippa Anno

 jam

viros insignes, vivos tum adhuc maximam partem atque spirantes, immo integras urbes & Academias. Confer &, quæ de ipso celeberrimi nominis Vir J. H. von Seelen in Selectis suis litterariis p. 678. sqq. annotavit. In Lexico autem Eruditorum frustra ejus nomen quæres.

jam MDXX. tanquam insigni doctrina & virtute virum dilaudavit, Philippus Melanchthon in literis ad Conradum Heresbachium A. 1531. d. 15. Julii exaratis & suo loco allegandis juvenem appellaverit (*n*). Neque praeterea indubium est, an anno demum 1520. vel antea jam a Coloniensibus scholis seclusus fuerit, cum Agrippa annum diserte non indicet. Obversabatur etiam animo Joannes Æsticampianus poëta, quem cum Bartholomaeo Coloniensi ob reprehensas barbarorum Theologorum sordes Jacobi Hochstrati, Arnoldi Tungerensis & Orthwini Gratii opera Colonia ejectum esse, ex Hamelmanno Vir Celeberrimus Jac. Burckhardus (*o*) memorat. Eum igitur fortassis ab Agrippa indigitari ob aliquam nominis similitudinem suspicabar. Sed re penitius considerata mutavi sententiam, ac aetatem hominis, qui forsitan annis illi par, si non superior, fuit, Melanchthoni, licet de facie eum noverit, minus fuisse cognitam judicavi. Juvenem equidem tum, cum Colonia abire cogeretur, eum extitisse, necesse est,

(*n*) Lutherus etiam eodem circiter tempore in loco infra §. XI. plenius allegando ita de eo: Campanus *ist noch jung und ungeübt &c.*

(*o*) In Commentario de vita Hermanni Buschii, quem ejus Vallo humanitatis praemisit, p. 182.

eſt, quippe qui, ut ex poſtea dicendis conſtabit, Anno adhuc 1574. inter vivos numerabatur. Sed quid obſtat, quo minus eum præcocibus ingeniis accenſeamus? In libro certe poſtea recenſendo ad varia ſcripta ante annum 1532. a ſe elaborata provocat, & Nicolaus Franciſcus von Streitten, qui editionis curam geſſit, in epiſtola nuncupatoria ad Fridericum Daniæ Regem diſerte affirmat, ſibi eum a multis retro annis, ceu magna eruditione, ac ſapientia, egregiisque virtutibus præditum, notum, & propterea eximiis teſtimoniis a non paucis Viris illuſtribus condecoratum fuiſſe (*p*). Cumprimis vero Agrippæ verba in noſtrum Campanum convenire, mihi perſuaſit Wicelius, qui eum familiariter novit, ita ſcribens (*q*): *Dic mihi, quis hominum id temporis de Campano male ſenſit, quando eſſet in*

B 3 *Saxo-*

(*p*) En ejus verba: *Ich bin von etlichen groſs und hochgelehrten, vveiſen, erfarnen Männern underricht, vvie der hochgelehrte Johan* Campanus (*vvelchen ich vor vielen jaren vieler künſten, vveiſsheiten und tugenden reich erkannt, daſs er dann auch von vilen groſſen, vvolgebohrnen, ſtrengen, edlen Herren und Leüten gute Zeügnus beid ſeines Lebens, Leer und vvandels hat*) *hab ein Buch geſchrieben*, Reſtitution *Göttlicher Schrifft genannt, &c.*

(*q*) In epiſtola, è qua paulo inferius excerpta dabimus.

Saxonia? An non in pretio eruditorum magno erat? An non in claritate apud Juliacenses? An non prædicabatur Coloniensium Sophistarum victor?

§. VI.

Quo autem deinde, Colonia emigrans, se verterit, mihi incompertum est. Georgius Spalatinus in Annalibus Reformationis, a Theologo Consummatissimo D. Ernesto Salomone Cypriano A. 1718. in 8. cum aliis hujusmodi egregiis monumentis laudabili consilio in lucem emissis (*r*) ad annum 1524. Campanum in Belgio SS. Trinitatem impugnasse notavit, sed per προλήψιν, opinor: occasione ipsi oblata variarum hæresium sub repurgatæ religionis initia exortarum mentionem faciendi. Si enim jam tum venena sua publice spargere veritus haud esset, vero simile non videtur, Wittebergenses eum ceu apertum SS. Trinitatis hostem deinde per biennium in Academia sua versantem toleraturos fuisse. Anno namque 1528. circiter Wittebergam pervenit, captans haud dubie commodam occasionem, dogmata sua inter alios dissemi-

(*r*) Pag. 93.

minandi; (*f*) ita tamen, homo vafer, ac mirus, teste Wicelio, rerum suarum occultator, se gessit, ut Lutherus atque Melanchthon tum demum, quum Witteberga re-

(*f*) Sandius Campanum Wittebergæ docuisse tradit, quod ita intelligi potest, ut vel dogmata sua ibi clanculum sparsisse, vel publico docendi munere functus esse existimetur. Prius equidem haud abnuerim, quamvis nec hoc certum sit & indubitatum; posterius autem procul a veritate remotum esse videtur, nec ulla ratione probari potest. Scilicet voluit Sandius sic Anti-Trinitariorum numerum viro, qui in ipsa Wittebergensi Academia Lutheri ævo non infimi loci fuerit, augere. Alii potius Lutheri eum discipulum faciunt: verbi gratia Stanislaus Hosius, qui in Confutatione Prolegomenon Brentii adversus Petrum a Soto Lib. I. p. 23. hæc habet: *Exorti sunt demum e schola Lutheri Joannes Campanus, & ex Hispaniis Michaël Servetus, qui libros aliquot de Trinitatis erroribus, plenos erroribus & blasphemiis ediderunt.* & Lib. III. p. 128. *Prius* (Satanas) *per Lutherum animos hominum præparari necessarium esse duxit sacerdotii & sacrificii simul abrogatione: quo sic per gradus quosdam eo tandem perveniretur, ut esse Deus quoque Christus negaretur. Has itaque partes Lutheri discipulo Campano & Serveto reservavit.* Immo p. 151. Campanum *nostrum* nuncupat. *Campanus vester.* Sed & hoc nondum evictum est; nec ulla, quod ego sciam, hujus rei in Lutheri, Melanchthonis & ipsius Campani scriptis apparent vestigia. Esto autem, audivisse eum aliquandiu Lutherum, & fuisse ejus discipulum: quid inde? Fuit & Judas proditor, omnium, qui unquam extiterunt & futuri sunt, bipedum nequissimus Servatoris optimi discipulus pessimus. Hoc certe nemo ullis fidiculis e Lutheri scriptis extorquebit, Campanum pestifera sua dogmata ex illo didicisse.

licta Nimeciæ aliquandiu commoraretur, Anti-Trinitarium ipſum eſſe ſenſerint. Antequam vero huc concederet, A. 1529. Marpurgum abiit, ut colloquio, Saxonum cum Helvetiis conciliandorum cauſa auſpiciis Philippi Magnanimi inſtituto, intereſſet, cujus etiam pars eſſe geſtiebat, diſputaturus cum Luthero de Sacra Cœna, de qua peculiarem ſententiam, a reliquis omnibus abeuntem, ſupra §. IV. Lutheri verbis a nobis memoratam, fovebat; ſed ad colloquium admiſſus non eſt (*t*): quod ſtomachum movit homini, ſuperbia & arrogantia inflato, qui ſolus ſibi ſapere videbatur. Cæterum eodem anno ante Synodum Marpurgenſem autumno habitam menſe Aprili Flensburgi in Holſatia Rex Daniæ Fridericus

(*t*) Dabimus hic ipſa B. Lutheri de ea re verba e Sermonibus ejus menſalibus f. m. 279. Campanus *kam gen Marpurg, und vvolt mit mir* diſputiren, *kondte kein* Dialecticam, *und vvolte gleichvvol ſeinen vvahn und ſchvvarm hoffertiglich und vermeſſentlich vertheidigen, ſagete, das vom Nachtmal des Herrn vveder der Luther, noch Zvvingel, noch* Oecolampadius, *auch der Bapſt nicht recht gelehrt hette, denn er fragte vveder nach Figuren noch Tropen, und machte ein neue Art zu reden, ſagte, es vver ein Brötern vvortlicher Leib. Und verdroſs ihn ſehr übel, daſs er zu Marpurg nicht auch mit ins Gemach zur* Diſputation *und Geſpräch berruffen und gelaſſen vvard. Solche Geſellen vverden vom Teufel verblendet.*

cus colloquium ſuper articulum de corpore Chriſti, ejusque in ſacra ſynaxi manducatione orali indixerat, cui præter alios interfuere Melchior Hoffmannus, Anabaptiſtarum anteſignanus, & Joannes de Campis, juſſu Regis deinde ex Holſatia exturbati: hunc cum noſtro eundem forte eſſe, primum ſuſpicabar: ſed acta illius colloquii (*u*) deinde nactus, animum mutavi.

(*u*) Exhibentur ea in ſectione II. p. 21. ſqq. libri, cujus plenum hic dabimus titulum, cum minus ſit obvius, & ipſi Celeberrimo D. Valent. Ern. Lœſchero haud viſus, quod ex præfatione ejus, Hiſtoriæ motuum inter Evangelico-Lutheranos & Reformatos præmiſſa, p. 8. apparet. *Viel und lang begerte Hiſtoriſche* Conſignation *allerley* Acten *und* Actitaten, Receſſen, *Synodaliſchen Zuſammenkünfften*, Colloquien, *vvunderſeltzamen Rathſchlägen und Veränderungen, ingleichem aller und jeder Lehr-Schutz- und Streit-Schrifften, gevvechsleten* Miſſiven, *Send- und andern Schreiben, ſamt deroſelben unpartheyiſchen analytiſchen Inhalt und Copeyen, vvelche in und auſſer dem H. Römiſchen Reich, zvviſchen den Lutheriſchen, Bäbſtlichen und Calviniſchen über dem eigentlichen Wort verſtande deſs allerheyligſten Teſtaments unſers Herrn Jeſu innerhalb hundert Jahren ergangen ſeyn. Neben beſcheidener Ablehnung der unerfindtlichen* Calumnien *und beſchvverlichen Auflagen der Pfältziſchen, Nevvſtättiſchen, Emdiſchen, Römiſchen, auch anderer Geiſtlichen, und ſonderlich* Dn. Rodolphi Hoſpiniani. *Mit unglaublicher Mühe und vielen Unkoſten zuſammen getragen, von Jahr zu Jahren* continuirt, *in gevviſſe Theile verfaſſet, und ans Liecht gegeben durch* Chriſtoph. Wilhelmi

§. VII.

Quum A. 1530. Joannes Elector Saxoniæ, Constantis cognomen virtute sua meritus, Caroli V. Imperatoris literis ad diem 8. Aprilis Augustæ in comitiis adesse juberetur, epistola d. 14. Martii scripta Lutherum, Jonam, Bugenhagium & Melanchthonem monuit, ut sententiam suam de controversis articulis conciperent, & quantocyus ad se Torgaviam perferrent (x). Huc igitur se itidem, licet non vocatus, contulit Campanus, partibus suis deesse nolens, atque cum illis Theologis, Luthero præsertim, in arenam descensurus, vel, ut videtur, suas opiniones, ut confessioni Cæsari exhibendæ insererentur, si pote, obtrusurus. Verum & hic repulsam passus, mirum quantum animo exasperatus fuit. Neque tum acquievit, sed etiam tertia vice (ubi autem, ignoro) Lutherum in arenam provocavit. En ipsa ejus verba e libri infra recensendi pagina ultima: *Wievvol ich ihn*

helmi a Vallo, *der H. Schrifft* Candidaten. Gera. A. M. DC. XI. in 4. Mihi prima tantum & secunda hujus operis sectio visa est, quarum illa historiam motuum a Reformationis initio ad A. 1529. hæc ad A. 1534. describit.

(x) Vid. Seckendorf. Histor. Lutheranismi Lib. II. Sect. 21. §. LV. f. 153. sq.

ihn dreimal drei jar nacheinander vor der ausgangenen Schrifft zu recht gefordert hab, erst zu Margkburg, darnach zu Turgavv vor seine Fürsten, zum dritten für zvventzig gelerter Männer, mit übersichtigung aller meiner Schrifften, und das recht mir immerdar gevveigert ist, so hab ichs dennocht für gut angesehen, mich auch nach der ausgangenen Schrifft jm und den seinen, vva und vvenn sie vvollen gerichtlich erbieten zu erscheinen. Ich kan nit mer. Richte solchs zvvischen ihnen und mir ein jeder so verstandt hat. Referenda huc etiam sunt, quæ Wilhelmus Lindanus, iniquus more suo in nostros, in præfatione Concordiæ Discordis p. 42. habet: *Ita fuit novella illa Lutherana doctrina formula Carolo V. A. brevi post Augustæ proponenda, a Campano aliisque exagitata, ut oblatam ab eo publ. illius oppugnationem Philippus Melanchthon & alii semitheologi subire non auderent.* Ecquis autem, quæso, crederet, heroas tantos, totque victoriis a veritatis hostibus reportatis celebratissimos, congressum cum levissimæ armaturæ, imo stramineo, milite formidasse? Graviores erant occupationes, quibus id temporis districti tenebantur, quam ut iis cum quovis errone in cassum disceptare vacaret. Videtur

vero

vero dein ſingularem librum (quem loco citato *das Artickel-Buch* nominat) vel articulis Torgavienſibus vel ipſi Auguſtanæ Confeſſioni Campanus oppoſuiſſe.

§. VIII.

Poſthæc denuo Wittebergam regreſſus, ſed facile prævidens, rebus ſuis ibi minus bene conſultum fore, præſertim cum aliquando Lutherus e ſeceſſu ſuo Coburgenſi, & reliqui e Comitiis Auguſtanis redituri eſſent, anno eodem menſe Julio Nymeciam, oppidum Electoratus Saxonici haud procul Witteberga ſitum, ad Wicelium ſe recepit, quem animo tum a Luthero ejusque partibus abalienato eſſe noverat, perfecturus ibi, quæ in ipſum atque ὁμοψήφους, imo univerſum orbem Chriſtianum moliebatur. Rumor autem eo tempore ſerpſit, & ad aures quoque Melanchthonis, Auguſtæ Vindelicorum verſantis, pervenit, Campanum a Leodienſi Fiſcali captum & ultimo ſupplicio affectum eſſe (y): ſed vanum eum fuiſſe,

(y) Ita enim Melanchthon in literis ad Vitum Theodorum Auguſta A. 1530. d. 26. Julii datis, ejusque Epiſtolis per Elzevirios Lugduni Batavorum A. 1647. excuſis inſertis p. 434. *Hodie reſcivi ex Othone Beck, qui in dicenda ſententia in ſenatu imperii ſummo ſtudio adhor-*

fuisse, ex dicendis elucebit. Id vero certum est, non adeo diu, sed unum duntaxat mensem, & quod excurrit, Nymeciæ eum substitisse, ibique summa diligentia Patrum scripta, e bibliotheca Werneri de Stechau ipsius usibus, conciliante Wicelio, concessa, pervolutasse. Inde autem Wicelio multæ adversitates enatæ. Innotescebat enim id temporis, Campanum non de sacra modo cœna & aliis fidei Christianæ capitibus, verum etiam de ipsa SS. Triade, quod hactenus callide dissimulaverat, perversas fovere opiniones. Atque hinc & Wicelius in suspicionem doctrinæ Anti-Trinitariæ venit (z), factumque, ut hac de causa,& quod præterea scriptum famosum sub nomine Agricolæ Phagi ediderat, Electoris Saxonici jussu in custodiam daretur, e qua dein dimissus a Lutheri partibus ad Romanas recessit, calamumque in nostros

adhortari solet Principes ad pacem, Campanum illum nostrum, qui nova dogmata Torgam ante nostrum discessum attulerat, captum esse a Leodiensi Fiscali: putant & ultimo supplicio affectum esse: sed hoc postremum nondum certo scitur. Hoc dicas Doctori.

(z) In hanc suspicionem Wicelium A. 1532. venisse Illustriss. Seckendorfius in Hist. Lutheran. Lib. III. Sect. 7. §. XXIV. f. 65. memorat, sed ejus apologiæ, quibus illam suspicionem a se amoliri annisus est, Anno jam 1531. scriptæ sunt.

noſtros ſtrinxit, emiſſis in lucem variis ſcriptis, quibus eorum & doctrinæ & moribus ſtigma imponere contendit. Campanus autem, cum Wicelius comprehenderetur, animo forte id prævidens ac præſentiens, jam elapſus erat. Cumque chartæ Wicelii curate perquirerentur, nihilque in iis, quod Campanianæ hæreſeos eum ſuſpectum redderet, occurreret, objectum eſt ei ab adverſariis, præſertim Juſto Jona, ab illius puero Campani ſcripta feſtinanter apparitoribus prærepta eſſe (*a*): verum de hoc crimine ſatis ſe purgaſſe Wicelium, cum Celeberrimo D. Ern. Sal. Cypriano (*b*) arbitror.

(*a*) Accipe hic verba Juſti Jonæ e libro ejus, cui titulum fecit: *Wilch die rechte Kirche, und dagegen vvilch die falſche Kirch iſt, Chriſtlich Antvvort und tröſtliche Unterricht, vvider das Phariſaiſch gevveſch Georgii Witzels. Witteb.* 1534. *Es hatte der Churfürſt zu Sachſen das nebſt nicht leiden vvollen, ſondern die Vogel vvollen ausnemen laſſen, iſt aber der ſachen leider zu langſam innen vvorden, da die Vogel ſchon ausgeflogen vvaren. Denn der Ertzleſterer Chriſti* Campanus *vvar hinvveg, und deſs Witzels knab (vvie er ſider der Zeit ſelbſt gerhümet) zu behende gevveſen, und des* Campani *ſamt andern ſeiner Geſellen ſchrifften und karten inn groſſer eil vvegbracht und verruckt gehabt, daraus man ſonder Zvveivel des Witzels Geiſt und Meinung ſolt recht ergriffen haben.*

(*b*) In Catalogo Codicum MSS. Bibliothecæ Gothanæ. p. 109.

bitror. Cochlæus (*c*) & ex eo Henricus Spondanus (*d*) aliique, Wicelium Lutheri opera carceri ceu maleficum mancipatum esse tradunt, sed ipse beatus noster Megalander id pernegat, Electoremque sua sponte eum captivum duxisse asserit (*e*). Operæ

(*c*) In Historia, quam vocat, Martini Lutheri ad A. 1531.

(*d*) In Continuat. Annalium Baronii Tom. II. ad A. 1531. num. XI. f. 409.

(*e*) Dabimus integrum locum, cum & alia ad Wicelii historiam pertinentia complectatur, e Lutheri Colloquiis mensalibus f. m. 278. Doct. *M. Luther sagte, dass* D. Georgius Brück, *Sechsischer Cantzler, den* Georgium Witzelium *bey dem Leben erhalten hette, denn er vvere ein Anfenger mit gevvesen der Auffrhur in Düringen, darumb als er gefangen vvorden, hette man jn köpffen sollen, da hette* D. Brück *jn erbetten. Als er nu zu uns gen Wittenberg kam, da satzte ich jn über die Pfarr zu Niemeck zum Pfarrherr, vvelche Pfarr jetzt* Conradus Cordatus *hat. Aber da er sich hernach an den* Campanum *hieng, zusammen schrieben, und miteinander ein Kuche vvar, und den Artickel von der Gottheit Christi anfochten, vvelches* Dominus Philippus Melanch. *zum ersten erfure, und den* Campanum *anher erforderte, und er so erschreckliche Gottslesterung fürgab, da fuhre Churfürst Hans zu, und liess den Witzel fangen, und in Thurm legen, aber vvir* Theologen *vvusten nichts drumb, da fiel Witzel von uns gar ab, und hieng sich vvider an den Bapst, und ist nu unser ergster Feind vvorden, aber er vvirt sein bescheiden theil auch kriegen.* Melanchthon hic Campanum Wittebergam revocasse dicitur; id ergo eum literis Augusta Vindelicorum, ubi tum comitiis intererat, scriptis

ræ autem pretium videtur, integrum Apologeticon ad M. B. F. adversus criminatores a Wicelio scriptum huc transferre, cum varia Campani personam & historiam concernentia contineat, ac præterea epistolæ illius, Lipsiæ A. 1537. in 4. editæ, quibus id insertum est, rarius obviæ sint. „Exigit „Divus Paulus, ut presbyter deligendus bo„no testimonio comprobetur, & idem se„dulo monet, ut delectus ita sese per omnia „gerat, ne vel doctrinæ sanæ labem con„trahat, vel suæ vitæ gratia Ministerium re„prehendatur. Cujusmodi mi N. quoties „recolo, terrore quodam percellor, consi„derans nimirum humeris impositum onus „tam grave, quam gravia nunc instant tem„pora. Et hactenus quidem ita vixi, ut „criminatorem de me obloqui puduerit. „Nec extitit, unde jure incusari a quoquam „potuerim. Nunc vero cum majore et„iam cura vitem scandala, & assiduus domi „meæ libris affixus, rebus meis vacem, mi„nus a criminatore tutus sum. In cujus „labiis

ptis fecisse, necesse est. Et rediisse quoque Campanum Niemecia Wittebergam, Wicelius in Apologetico ad ipsum Electorem scripto, e quo mox excerpta dabimus, refert: sed haud dubie clanculum: alias eandem cum Wicelio sortem eum experturum fuisse, persuasum mihi habeo.

labiis venenum aſpidum, cujus lingua gla- „
dius acutus, cujus guttur patens ſepul- „
chrum, cujus oculi nequam, & conſcien- „
tia cauteriata eſt. Quid querar? Benefa- „
ciens criminor. Pia facta arrodunt invi- „
duli pallentes. Sed nec tantillum obe- „
runt. Nam conſcientia mihi bona eſt & „
pura. Quur enim ita cum Paulo non di- „
cam, quicum & ego mihi nihil conſcius „
ſum? Nulla culpa palleſco, nec terreor „
accuſatiunculis iſtis, quas ſcio eſſe calu „
mnias, invidia matre natas. Recte per „
Deum immortalem ſenſit, qui cecinit: „

Servat multos fortuna nocentes: „
Et tantum miſeris iraſci Numina „
poſſunt. „

Rei caput eſt: Accuſor M. Joannis Cam- „
pani hoſpes menſtruus. O cœlum, o ter- „
ra! Velim vero hic mihi, non qui alter- „
utram juvent partem, ſed qui cauſſam ju- „
ſte reputent, ne accuſator fiat inſolentior, „
aut reus opprimatur indicta re. Primum „
rogo, an non fores meæ liberæ eſſe & cui- „
vis patere peregrino debeant, qui modo „
ita venit, ut venit Campanus? Venit „
vero is cum literis Bibliopolæ Mauri- „

„tii (*ee*) commendatitiis. Venit mihi
„tam ignotus, quam eſt unus e Maſſagetis.
„Venit optimi hominis & piiſſimi fratris
„ſpeciem præ ſe ferens. Venit comitatus
„Dionyſio quodam Brabantio, homine in
„literis noſtris, hoc eſt, ſacris exercitato.
„Talem egon' ab oſtio meo arceam? Ta-
„lem tecto, imo menſa etiam communi
„non digner? Fortaſſe vobis infamatoribus
„minus peccaſſem, ſi nugonem aliquem,
„aut palponem excepiſſem, modo is non
„male apud vos audiret. At ego virum
„haudquaquam malum, literarum ſtudio
„inſignem, moribus, adeoque rebus omni-
„bus, ornatum excepi, & excepi rogatus &
„excepi hoc libentius, quo magis mihi vi-
„ri indoles adpareret. Quanquam, ſi libe-
„ret, poſſem rem totam a me uno verbu-
„lo amovere. Nempe hoc: Non ego, ſed
„Anthonius hominem hoſpicio ſuſcepit.
„Sed quia facti hujus ego Anthonio ſuaſor
„extiti,

(*ee*) Videtur is fuiſſe Mauritius Golzius, cui cum Bartholomæo Vogelio & Chriſtophoro Schrammio Jo. Fridericus Elector Saxoniæ A. 1534. Lutheri Biblia imprimendi vendendique privilegium dedit, quemque in nundinis Francofurtenſibus A. 1548. diem ſupremum obiiſſe Summe Venerabilis Theologus D. Guſt. Georg. Zeltnerus in peregregio Commentario de vita & fatis Joannis Lufftii p. 43. obſervat.

extiti, caussam omnem in me rejectam, „ volo, hospiti Anthonio in hoc gratum fa- „ cturus. At inquis: Hæresi pollutum ex- „ cepisti, nec non bonorum juratum ho- „ stem, quique exitio rei Christianæ studeat. „ Bona verba. Excepi ego neque hæreti- „ cum, neque ullius hostem, neque pravum „ machinatorem, sed Campanum, sed fra- „ trem, sed studiorum socium. Nec mihi „ apud ullos fraudi esse possit, etiamsi ta- „ lem excepissem, qualem ipse depingis, „ quippe ignorans. Quodsi crimini dare „ pergas, age, debebas fronti hominis in- „ scalpsisse, qualis fuisset, ut hinc admoni- „ tus eum a domo prohibuissem. Neque „ enim tam sum Lynceus, ut animi illius „ penetrale introspicere quiverim. Aut si „ a nemine colligendus erat hospicio Cam- „ panus, qui, rogo, fit, ut istud nullo edicto „ antea caverit princeps? Adeoque cur Wit- „ tembergæ eum, non mensem unum at- „ que alterum, sed aliquot annos passi sunt? „ Si hic dicas: Quis omneis novit? Idem „ ego pro me dico. Quodsi exactum, si pro- „ fligatum exulemque & judicatum hostem „ suscepissem, quis omnium miraretur ac- „ cusationem? E Wittemberga expatian- „ tem, non fugatum suscepi, & eum, qui „

 ob „

„ob nullum ſcelus neque patratum neque
„patrandum ad nos deambulavit, ſed qui
„orthodoxos ſcriptores à Stechavio noſtro
„mutuum acceptos evolveret ac conſule-
„ret. Cujus negocii tamen neque me ne-
„que Anthonium conſcios unquam eſſe
„voluit, homo rerum ſuarum mirus oc-
„cultator. Illud de ipſo affirmare auſim,
„nempe diligentiorem Scriptorum vete-
„rum lectorem & judicem me vix in vita
„cognoviſſe. Lector erat diurnus & no-
„cturnus, ſibi ipſi nihil parcebat, genium
„defraudabat, vita ſobrius, converſatione
„honeſtiſſima, verborum perpaucorum,
„geſtibus laudatis. Breviter talis, quem
„ego ſuſpicere potui, abominari aut odiſ-
„ſe non potui. Et cur non idem de Cam-
„pano elogium referam ipſe, quod de Da-
„vide rex Achis. *Eſt,* inquit ille, *apud*
„*me David annis & diebus, nec inveni in eo*
„*quicquam mali, à die, quâ ad me venit uſ-*
„*que in hunc diem.* Et quid vetat, quo mi-
„nus cum Abimelech ſacerdote & hoſpite
„ejusdem Davidis, hoſpitem meum excu-
„ſem, ubi Saul perrexit conjurationem cau-
„ſari? *Quis*, dixit ille, *in omnibus ſervis*
„*tuis, ſicut David fidelis?* &c. Novi pro-
„fecto optime Doëgitas meos: Novi Zy-
„phæos,

phæos, qui meam animam hostiliter quæ- „
runt. Sed tamen tempus innocentiam „
meam illustrabit, & illorum patefaciet „
malevolentiam. Dominus inultam diu „
non patietur. Justus enim est & rectum „
comminans judicium. Si ultionem suspen- „
derit usque ad diem illum magnum, hor- „
rendumque, nec hoc animo meo displi- „
cebit. Scio me per invidiam vexari, scio „
undenam omne odium fluat. Non enim „
plane peccatum esse potest hoc, quod „
Campano exhibui, sed officium. Si pec- „
catum esset, diu sensissem hoc in con- „
scientia, indicante nimirum lege. Sed „
quid ob hæc verba facio? Gaudio esse „
mihi debet, & est, quod in caussa bona, „
hoc est, φιλοξενος patiar. Nam malo be- „
neficus quam maleficus pati. Μισοξενος „
esse non possum, quum ipse Xenus hac „
in terra cum tota familia sim, præterea „
hortatur me ad philoxeniam præceptum „
Dei mei toties in Apostolicis epistolis „
repetitum. Postremo ipsa hoc suadet „
Naturæ lex. Verum quod ob philoxe- „
niam nunc ceu ob κακουργιαν patior, mihi „
cum multis piissimis hominibus commu- „
ne est. Lot (utinam hujus justitiam ha- „
berem!) affligebatur, quod esset Hospes „

 pio- „

„ piorum. Jonathas à patre damnatur, „ quod Davidi esset familiarior. Rahabæ „ hospita domus vexatur ab adversariis pro- „ pter peregrinos non collectos modo, sed „ & absconsos liberatosque. Sed nullum „ est exemplum accommodatius, quam quod „ de Jasone Thessalonico narrat S. Lucas. „ Is obtorto collo ad Polıtarchas trahitur, „ non sine vitæ rerumque omnium discri- „ mine. Ob quod quæso flagitium? Nul- „ lum profecto, sed ob beneficium magis „ hospitalitatis. Nam Paulum aliosque in do- „ mum suam exceperat, hoc est, fecerat „ quod sibi fieri voluisset. Atqui, ais, tu „ non Jason es, neque Campanus Paulus. „ Recte, at quod præstitit Paulo Jason, cu- „ pivi ipse præstare communi Fratri, idque „ pari animo, sin minus pari facto. Jam „ demonstrandum accusatori erat, quanam „ in re tam malus tamque reprobus sit Cam- „ panus & quur ita vitandus? Dixi, me bo- „ num virum hospitio excepisse; ast alius „ diversum adferat. Si satanæ vas, age, pro- „ betur. Ipse vas Dei electum & cognovi „ Campanum, & prædicavi, neque enim „ secus, vel emoriar, de eo loqui possum. „ Nec ullum spero me adacturum, ut vel „ huic, vel quibusvis aliis in Germania con-

„ tra

tra conſcientiam maledicam, aut detra-,, ham, qui videlicet neque in me pecca-,, runt, neque in alios videntur iniqui, ne-,, que (quod cumprimis dictum oportuit),, contra fidei Catholicæ analogiam ſen-,, tiunt. Quod ſi nunc Campanus aliqua,, prodidit, quæ vel abſurda, vel etiam a,, veritate ſimplici aliena eſſe videntur, mi-,, hi certe nihil periculi inde timendum eſt,, maxime, quem cælarit ſua molimina. Et,, per Dominum juro, ſi mihi hic de Syna-,, xi vel ſyllabam retexit. Apud Marbur-,, gum ipſo die, quo eram abiturus, non-,, nihil ſua de ſententia, vel non ſciſcitanti,, aperuit. Quam tantum abeſt ut proba-,, rim auditam, quum ad hunc usque diem,, ſatis quid ſibi velit homo peracer non-,, dum intelligam. Fortaſſe & alia progreſ-,, ſu temporis publicaturus eſt, num ideo,, illa, quæcunque tandem fuerint, me in-,, volvere poterunt? O æquos homines, O,, principes Eccleſiæ Dei in terris! Si vobis,, cum Campano parum convenit, quid me,, arguitis? Aut egone illius ſua in cauſſa,, defenſor patronusque? Habebatis eum,, nuper, cur non cum eo de cauſſa ageba-,, tis? Ovis ego Æſopica fontem turbavi,,, & ſus dependo acina, qui vineæ nihil ob-,,

 fui.,,

„ fui. In me faba cuditur, homine omnium „ innocentissimo. Sed subodoror odii se- „ minarium. Ajunt, eum accuratius per- „ lustraturum omnium recentiorum Scri- „ pta, ut vel eo pacto illi doceantur, quam „ res fœda sit, temere præcipitare libellos, „ & perniciosa, sine judicio evomere, quic- „ quid nostro palato rectum videtur, non „ probe excussis, sed obiter gustatis modo „ scripturis. Utcunque est, alienus ego a „ Campani negotio sum, & tacere illum ju- „ beo, qui, si aliud nihil potest, Campanum „ in me persequitur. Si cui cum illo res est, „ is scribat in illum, ita tamen, ne mutua „ alteratione veritas amittatur. Nemo suæ „ gloriæ & authoritati consulat, sed rei Chri- „ stianæ, quæ nunquam laboravit. Homo „ is sum, qui si impia à Campano hic pro- „ posita audissem, non tulissem. Optavi „ sæpenumero, ut tales animos plures ha- „ beret Ecclesia, qui tanta fide tantoque ar- „ derent zelo. Nunc si talis perversus est, „ quod vix adducar ut credam, age mihi „ nihil perit, nec fit mea culpa, nec volun- „ tate. Domi meæ malus factus non est, „ si antea bonus fuit. Nec à me hausit, „ quæ scriberet. Vale.

„ Habes

Habes quid mihi pepererit Juliacenſe „ commercium, ut, ſed facti me nondum „ pœnituit, quo aliud nimirum plus veniæ „ vix mereatur: Gratularis reduci e certa- „ mine Viſitatorum, & amice facis. Cer- „ tamen profecto erat, nec incruentum. „ Sed non omnis in aruis Amathiis cecidi, „ nec ſic mea fata premuntur, ut nequeam „ levare caput. Quid vero actum ſit, ha- „ beo in ſchedis. Pars modica hujus fuit „ Campanus, de quo tibi hæc ſcribens, ſex „ horas pendo. Quid vis? ad Tarpejum „ rapiendus eram, ſi vel unicum erruncu- „ lum in doctrina, vel in vita flagitiolum „ deprehendiſſent. Hyenæ famelicoſiſſ. „ erant, ſed hic nihil prædæ. Si me autho- „ ritate & vi gladii cohercebunt, ne de peſ- „ ſimo eccleſiæ ſuæ ſtatu amplius querar, „ Ariſtophanicos illos muſſatores imitabor, „ & dicam μὺ μὺ μὺ. Tu bene vale. Ny- „ meciæ. XXIV. Februarii. Anno M. D. „ XXX. „ (*f*).

(*f*) Mendoſe hic M. D. XXX. pro M. DXXXI. poſitum eſſe, reor. Nam poſt habitam demum Marpurgi A. MDXXIX. autumnali tempore ſynodum Wittenberga Niemeciam venit Campanus, & quidem idibus Juliis, quod ex ſequentibus apparebit, atque adeo menſe Februario A. M. D. XXX. Wicelius hæc nondum ſcribere potuit.

„Mi Lector hæc ſcripſi ad amicum mul-
„to ante quam huc pervaſiſſet rumor de
„Trinitario (*g*) Campano. Quanquam &
„hoc ipſum, quod ſit Trinitarius nuspiam
„legi, nec à quoquam audivi, niſi ab uno
„Luthero, communi utriusque hoſte.
„Quodſi verum eſt, apage portentum il-
„lud. Sin vanum reſpondere habent ac-
„cuſatores hominis. Ad me nihil attinet,
„ſeu verum ſit, ſeu vanum. Hoc ne ne-
„ſcires amice volui.

§. IX.

E re quoque noſtra eſt, ex prolixiori ejusdem apologetico ad J. S. D. (i. e. Joannem Saxoniæ Ducem) in Saxonia ſcripto A. M. D. XXXI. ea huc transſcribere, quæ

(*g*) Trinitarii rectius dicuntur ii, qui trinum Deum confitentur & adorant, quam illi, qui eum impugnant, (quod & Campanus fecit) quibus Anti-Trinitariorum nomen melius convenit. Sed curiæ Romanæ ſtylo SS. Triados hoſtes Trinitarii audiunt. Ita enim Pontifex in Bulla Cœnæ Domini, die Viridium quotannis Romæ publicari ſolita: *Excommunicamus & anathematizamus ex parte Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus S. auctoritate quoque Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac Noſtra, quoscunque Huſſitas, Wicklephiſtas, Lutheranos, Zvvinglianos, Calviniſtas, Ugonottas, Anabaptiſtas, Trinitarios, & a Chriſtiana fide Apoſtatas* &c. vid. D. Jo. Fabricii Amœnitat. Theolog. p. 620. ſq.

quæ ad Campanum pertinent, cum ſint valde memorabilia, ac hominis hiſtoriam haud parum illuſtrent. En ergo tibi illa:

Sed aggredere. Campanum Juliacen-„ ſem hoſpitio foviſti: in Sacramentariorum„ gratiam Marpurgo proximo autumno ab „ iiſti: libros ſcripſiſti & epiſtolas, non di-„ co quales: ſolus ſapis. Audis, opinor,„ primo ſtatim ingreſſu cordate lector, quid„ ſit rei, ut ſupervacaneum propemodum„ ſit, hujusmodi diluere.„

Sunt apinæ tricæque, & ſi quid vilius„
iſtis.„

Audis, inquam, quo fonte accuſatiuncu-„ læ iſtæ manent, nempe invidiæ. Sed ſa-„ tius eſt invidioſum eſſe, quam miſeran-„ dum. Quibus gravis etiam ad videndum„ ſum (cur enim non, quod res eſt, dicam)„ eam mihi foderunt foveam, quam uti-„ nam ipſi vitare in perpetuum poſſint.„ Condono & illis, quicquid hac in re pec-„ catum eſt, condonaturus, ſi hoſtilius trans-„ acta fuiſſent omnia. Sed ad defenden-„ dum propero, vos æqui advortite. Idi-„ bus Julii venit e Wittemberga ad me ni-„ hil minus cogitantem Campanus, Diony-„ ſio„

„ſio Brabantio comitatus, quem, ut eſt „vultu præclaro, honorifice exceptum ſe„dere juſſi. Mox ille depromptis literis ſci„ſcitatur de Anthonio, cui eas reddat. An„thonius forte aſſidet nimirum à lectione „Hebræa. Nam in hoc ſtudio una exerce„bamur. Literis acceptis reſignatisque le„git nobis, à ſe petere Mauricium biblio„polam, ut Magiſtro, qui literas reddide„rat, euoluendos ſcriptorum Eccleſiaſtico„rum libros apud Wernherum de Stechau „proſpiceret: Hoc ſibi fore pergratum. „Anthonius annuit, mihi res quippe lite„raria, perplacet. Imus igitur unà ad „Wernherum. Rogamus, ut pro ſua cha„ritate codicum ſuorum copiam viro illi „faceret. Is, qui eſt hominis candor, vo„lumina quinquaginta plauſtro vehenda ad „nos curat. Anthonius hominem in ſuas „ædes recipit, ſive quod eſſent meis capa„ciores, ſive quod in altiſſimo ſeceſſu, & „idem victum ſubminiſtrat. Studens me„cum ſæpicule prandet, ſæpicule cœnat, „idque carptim: Nam tanta erat illi tem„poris parſimonia, ut vix horam menſæ im„partiret, adeo properabat ad Charites ſuas. „Redeuntem in ædes Anthonianas dedu„cebam. Nonnunquam ſuavius nugaba-

„mur,

mur, nonnunquam ſeverius diſſerebamus.„ In conclave, ubi legebat nec mihi nec„ etiam hoſpiti ingreſſus unquam patuit:„ adeo res ſuas atque inſtitutum nos cæla-„ bat, ut ſui etiam nominis erga nos eſſet„ pertinaciſſimus Harpocrates, nec niſi quan-„ do eſſet mox à nobis abiturus, & caſu„ quopiam nomen Campani reſciuimus.„ Studium hominis tantum erat, ut diebus„ Julii longiſſimis, bonam partem noctis„ adjiceret. Bis nobiscum lauabat. Bis„ una rus deambulabamus animi gratia.„ Hic converſationis Campani apud nos te-„ nor. Cæterum de eruditione uiri & mo-„ ribus quid attinet dicere, quum id abun-„ de alii? Ego admirabar hominem, non„ tantum amabam, quod tot rebus eſſet or-„ natiſſimus. Jam, vir tantus prolapſus in„ hæreſim Arianam dicitur, & idem nega-„ re carnem CHRISTI in pane. Quam fa-„ mam ſatis ego mirari non poſſum, qui„ longe diverſa ab eo, quod dicitur, audie-„ rim. Nec facile adducor, ut rumuſculo„ illi credam. Qui, ut maxime verus ſit,„ quid quæſo ad me? Age igitur accuſator„ fratrum, adeſto, nervos omneis explica,„ & proba argumentis, male feciſſe nos,„ Campani hoſpites. Proba, nos reos eſſe„

mali„

„mali dogmatis. Proba, ſi quid ille à no„bis adiutus eſt. Proba, conſentire illi „nos. Stamus, nec te refugimus, quan„tumuis atroces minas ſpirantem. Audi„mus, ſi quid habes: Et hoc audimus con„fidentiores, quo ſumus iuſtiores. Ais „proponenti arriſiſſe applauſiſſeque. Ais „nos illum e Wittemberga accerſiſſe, ut „eſſet, quicum communem doctrinam re„futaremus.

„*Nunc immenſa caui ſpirant mendacia*
„*folles.*

„Nam ſi eiuſmodi de nobis unquam reſci„veritis, non in carcerem modo, ſed in „Albim etiam nos projicite. Ignotus ad „ignotos venit, notos reliquit, ſed tamen „eosdem. Sua nos cælavit, teſte, ut rumpa„ris, DEO Omniſcio. Nec applauſi, niſi „ubi veriſſima diceret, & aliquando, ubi re„ctiſſime de religionis cauſſa quereretur. „Si hæreticus eſt, hæreticum Wittember„ga dedit, aut certe Colonia, aut Duſſel„dorpium, non fecit Nymecia. Hæreticos „ego, ut nemo, odi, nec mihi cum horum „ullo quicquam convenit, quotquot un„quam fuere, ſunt, & erunt: Sed ego con„tra

tra bene nos fecisse Campani hospites pro-„
babo, idque sole clarius. Primum paro-„
chos decet philoxenia. Deinde Bibliopo-„
læ, qui scripserat, ut amico honesta ro-„
ganti obsequendum. Postremo docti co-„
lendi nobis sunt, indoctis licet. In sum-„
ma, quia apud nos studere volebat, non„
neotericos & insulsos doctorculos, sed eos„
illi curavimus Patres, è quibus si alioqui„
nutasset, stabiliri poterat. At quos? Non„
reticebimus. Hilarium ceu vexilliferum„
primo loco pono, cujus opera, curanti-„
bus nobis, evoluit Campanus. Jam quis„
Hilario felicius atque invictius in Arium„
pro tuenda Trinitate scripsit? Dicant, qui„
legerunt. Evoluit & Cyrillum, nostra„
cura, qui totum ferme Joannem adversus„
Trinitatis negatores enarrat, & idem li-„
brum copiosissimum fecit, qui Thesaurus„
inscribitur, contra Arianos & Eunomia-„
nos. Dedimus item antiquitatis avido„
Basilium legendum. Is annon quinque„
libros in Eunomium eiaculatus est pro di-„
vinitate unigeniti? Dedimus & Athana-„
sium, qui de incarnatione verbi ad Ma-„
charium scribit, & in eodem opere di-„
sputationem Nycenam legit. Dedimus„
præterea Ambrosium, qui de Trinitate li-„
bros„

„bros quinque ad Gratianum Imper. con-
„didit, Et idem de fide orthodoxa pecu-
„liarem librum in Arianos fecit. Item de
„spiritu sancto alium copiosissimum ad eun-
„dem Gratianum scripsit. Nam is per epi-
„stolam rogarat Ambrosium, quonam mo-
„do DEUS esse posset spiritus sanctus.
„Præter istos dedimus Augustinum, qui
„quantoties sanctam vindicet Τριάδα, nemo
„nisi, qui non legit, nescit. Atque hoc
„præsertim in libro, cui titulus, *de trinita-*
„*te & unitate DEI.* Quid, quod idem XV.
„libros de trinitate composuit? Ejusdem
„de hæresibus libellum, & item Tertullia-
„ni de iisdem apud nos legit Campanus.
„Proinde an non benefecimus, tibi male-
„fici? Nos, si veneno infectus fuit, anti-
„dota saluberrima misero porreximus.
„Nos profuimus: non obfuimus, idque ne-
„que illi neque Ecclesiæ, neque Principa-
„tui. Gladium dedimus, quo excinderet,
„non quo defenderet hæreses. Ubi igitur
„maleficium, quod vinculis plectas? lau-
„dem meruimus, eam nobis in crimen ver-
„tunt. O temporis iniquitatem! Quod si
„de carne in pane lis est, legit idem apud
„nos Ambrosii libellum de Sacramentis, in
„quo istud valide evincit. Legit Cypriani
„ser-

sermonem. Legit Laurentii Vallæ ea-„ dem de re, nostro beneficio, conciuncu-„ lam. Legit Theophylactum, idem asse-„ rentem, ut cæteros præteream. Ais: „ eosdem poterat autores Wittembergæ le-„ gere. At quis eum invitarat, ut hic le-„ geret? Si potes, demonstra: Sin minus, „ quid oggannis. Sed aliud adrudit accusa-„ tor, quo fortius nihil habet: Nimirum, „ principali edicto antea cautum, ne quis „ id genus homines tecto dignaretur. Re-„ spondeo: Edictum isthuc valuis nostri op-„ piduli adprime affixum est. Verum, quid „ is hominis est? Hæreticus? Seditiosus? „ Papista? Catabaptista? Pneumatophorus? „ Si horum quicquam erat, quis nos præ-„ monebat, ne talem exciperemus? Nam „ si talem prudentes excepissemus societatis „ non monitionis caussa, edicto certe ve-„ stro, principes, obnoxij essemus. Sed „ quicumque est, imprudentes eum & igno-„ ti excepimus, idque justi nomine, non, „ injusti, ubi ergo justi merces? Nec hic „ delituit, ut hostis, sed ut amicus in aper-„ to commorabatur, nec è latibulo ad nos, „ venit, sed à Wittemberga, venit petens, „ non iniquum quippiam, sed æquissimum, „ honestissimumque. Etenim dic mihi quis „

,, hominum id temporis de Campano male sensit, quando esset in Saxonia? An ,, non in pretio eruditorum magno erat? ,, An non in claritate apud Juliacenses? An ,, non prædicabatur Coloniensium Sophistarum victor? Cæterum si nunc, postea-,, quam erupisse dicitur error hominis, tale ,, faceremus, non mirum, si pateremur? ,, Si condemnatum, proclamatum, finibus exclusum recepissemus, esset profecto, quod ,, traduceremur inobedientes. Sed hoc ne ,, factum? Quis doctorum eum id temporis, inquam condemnarat? Quis principum eiecerat? Quis hominum vitarat, ceu ,, publicum hostem Campanum? Mira res ,, est. Quem tota regio tulit, eundem Nymecia non ferat? Sed mihi tempero. Auditis, opinor, quæ affero. Verum unum ,, illud appendam, unde liqueat, imò unde ,, palpes, si velis, quàm non hospitii caussa passi simus. Vos cognoscite. Idem ,, Campanus biennium totum Wittembergæ ante fuit, quam Nymeciam videret. ,, Nec sine hospitio fuit. Hospes vero immunis a crimine est, apud quem sua lucubravit. Apud nos legit modo aliena, ,, & excerpsit, nec immunes tamen sumus. ,, Illic tot menses, hic unum modo degit: ,, Illinc

Illinc ſcribere ad alios poterat, & ad ipſum „
alii, hinc nullam cuiquam ſyllabam ſcri „
pſit. Dicis: Quid hoſpiti laico cum Cam- „
pano? At quid nobis? Nos fortaſſe mi- „
nus illo conſcii moliminis ſumus, adeo- „
que: quod ante teſtatus ſum: plane ni- „
hil ſumus. Sed hoſpes ille prior, ad „
quem à nobis quoque redijt, venia di- „
gnus erat, quia apud ipſum pecunia Cam „
panus, hic gratis victitavit. Cenſura co- „
lumbas vexet potius, eæ enim inermes „
ſunt, & infirmiores, quam quæ ulciſci „
injuriam poſſint. In nobis faba cuditur; „
Is vero, ad quem rediit hæreticus (ut di- „
citur) inſons eſt. Quaſi unus hoſpes ho- „
ſtis malefaciat tantum, cæteri, quorum li- „
mina frequentius libentiusque terit, non „
item. Quod ego non dixerim, ut ho- „
ſpiti illi, bono fortaſſe viro, noceam, ſed „
ut me, qui nihil peccavi, meumque ho „
ſpitium à flagitii nota defendam. Rem „
uno verbo dicam: Scriptor, non hoſpes „
Wicelius affligitur. Sed de his ſatis ſu- „
perque. „

§. X.

In quarto Epiſtolarum Wicelii libro extat etiam ejus Expoſtulatio de graviſſima

injuria hostis Jonæ, Erphurdiæ postridie Joannis Baptistæ A. MDXXXII. scripta, in qua inter reliqua graviter conqueritur, apologiis suis, quibus de Campano se abunde purgaverit, fidem denegari. En quædam illius verba: „Scis, scis, inquam, ex apo-„logiis meis & ex confessione Beltziana mi-„hi nihil rei esse cum Campano, quem „ignotum hospitem quondam excepi, sed „emoriar, si mihi vel unicum jota de fide „sua aperuerit. Jam diu id testor, nec mi-„hi creditis, aut si creditis (ut verisimile „est, nisi saxei estis) qua fronte iterum au-„detis mihi hoc impingere, quod scitis va-„nissimum esse? Annon satis est, si con-„stanter & ex animo negem, me cum Cam-„pano sentire? Quid amplius faciam? Num „cor exectum etiam oculis vestris subji-„ciam? Inquirite apud Nymeciam, exami-„nate conciones, quas illic peregi, explo-„rate scripta, ipsa denique privata collo-„quia excutite, num quid Campiani illic „resideat. Illud jam millies testificor, si in „vita mea vel sensi vel dixi scripsique secus „de Christi Jesu deitate, quam hactenus „Catholica Ecclesia credidit, non renitar, „quo minus vivus exurar, & anathema pro-„clamer per universum orbem. Sed vix

„credi-

credibile eſt, vos vere ſentire, quod Cam- „ panizem, niſi quod hujus invidia cogita- „ tis me ubique opprimere in ultionem re- „ verſionis, quam forte defectionem inter- „ pretamini. Hoc vel inde liquet, quod „ Lutherus ipſe, cui ſecundum hominem „ bene volo, diſcedentem me rogavit, ut „ ſuppetias ferrem contra ſectas, maxime „ Campani. Et idem lectis excuſatricibus „ literis meis ad Ducem Saxon. Illuſtriſſ. ſa- „ tisfactionem accepit, præſertim quum „ verbis quoque ſacrilegum errorem coram „ ipſo a me detergerem. „ Et multis in- terjectis: „ Supereſt Campanus, qui ſi co „ ram adſtaret, in faciem illi expuerem (ſi „ vera ſunt, quæ de portento iſto narran- „ tur) adeo odi, quotquot ſunt hæreſes ad- „ verſus ſacroſanctam Trinitatem. Quæ „ ſcribo, ecce coram Deo, non men- „ tior. „

Nihilo tamen minus Lutherum aliquot poſt annis Wicelium, cum jam Lipſiam vocatus eſſet, Campanianæ hæreſeos adhuc ſuſpectum habuiſſe, ex ejus colloquiis menſalibus (*b*) videre eſt.

(*b*) Fol. m. 261.

§. XI.

Sed a Wicelio ad ipſum Campanum redeamus. Eum A. 1531. in ditione Ducis Juliacenſis diverſatum eſſe, didici e literis Phil. Melanchthonis, eo anno d. 15. Julii ad Conradum Heresbachium, Ducis Conſiliarium exaratis, ubi & ſingularis libri, ab eo conſcripti, mentio habetur (*i*). Ita autem ille: *Eſt apud vos quidam, cui Campano nomen eſt, qui profitetur ſe hoſtem Lutheranæ factionis, idque callide facit, ut eo prætextu inſinuet ſe in animos iſtarum nationum, apud quas inviſum eſt Lutheri nomen, ac contra Lutheranos nihil admodum ſcribit, niſi meras* λογομαχιας, *& venenata convicia. Interim* καινοτομει περι ὑιȣ θεȣ, και περι τȣ ἁγιȣ πνευματος ἐυνομιανοφρονει. *Telam orditur, quam non poterit detexere. Ideo te oro, ut pro tua prudentia des operam, ne quid exiſtat ex illis diſputationibus mali. Juvenis eſt & imperitus horum certaminum* και νεανιευει πηνον (l. πλεον) θρασυνικως. *Titulum libro fecit: Contra totum poſt Apoſtolos mundum. De his rebus cogitabis.* Liber hic num Germanico, an Latino idiomate concinnatus ſit, numque

(*i*) Vid. Epiſtolarum Phil. Melanchthonis a Caſp. Peucero publicatarum libellum alterum p. 394.

numque publicæ luci expoſitus, an ſuppreſſus, tenebrisque mancipatus fuerit, definire haud auſim. Lutherus eum legit, non vero typis excuſum, ſed manu, & ipſius quidem Campani, exaratum (*k*). Si editus eſt, ipſa raritate eum rariorem eſſe cenſeo, qui in tot inſtructiſſimarum Bibliothecarum catalogis eum fruſtra quæſivi, & neminem, qui illum aut conſpexerit unquam, aut fando duntaxat, ubi vel unicum ejus exemplar lateat, audiverit, novi, licet ſtudioſiſſime de eo inquiſiverim. Quæ in Colloquiis Lutheri menſalibus e quodam Campani libro referuntur (*l*), hinc deprompta eſſe

 reor.

(*k*) In Sermonibus Lutheri convivalibus f. 277. hæc narrantur: Doctor Martinus *Luther laſe in des* Campani *Buch, das er mit eigener Hand geſchrieben, und* Münſterus (Sebaldus ſcilicet, ni fallor, Juris Conſ. Wittebergenſis, cujus vita in Melanchthonis Præf. ac Orationum Tom. II. p. 444. ſqq. legitur) *überſehen und ausgeſtrichen hatte, welches Titel war, wider die Lutheriſchen und alle Welt nach den Apoſteln, und derſelben wunderbarliche und ſeltzame ungewwre Irrthumb. Ausſtreichen* non dilaudare & præconiis extollere, ſed idem eſſe ac expungere atque obelo transfigere exiſtimo. Forte Munſteri cenſuræ liber oblatus fuit.

(*l*) Pag. cit. Campanus *iſt noch jung und ungeübt, und in ſolche fragen gerathen, und Schwermerey gefallen, denn er meynt, er könne mehr Griechiſch, denn Luther und Pomer, hat nie keinen kampff gefühlt, noch ſich*

reor. In eo certe, qui mihi ad manus eſt, quemque infra recenſebo, illa haud extant.

§. XII.

Anno 1532. prodiit opera Nicol. Franc. von Streitten ejus *Göttlicher und heiliger Schrifft* Reſtitution *und beſſerung*, de quo libro deinceps plura. De hoc ſermo eſſe videtur in Lutheri colloquiis menſalibus (*m*), ubi hæc verba legimus: *Als* Anno 1532. *ein grevvlich böſs Buch vvider die heilige Dreifaltigkeit im Druck ausgegangen vvar, ſprach* Doctor *Luther: Die Schvvermer gedencken nicht, daſs andere Leüte auch von dieſem*

ſich mit dem Teüfel gerauſſt, drumb rhümet er ſich, er ſey der ſachen gantz und gar gevviſs, es könne jm nicht feilen, und ſagt: Er könne von der Gottheit Christi deütlicher und klerer reden, und dieſelbe ausſtreichen, denn Joannes der Evangeliſt ſelber. Verdampt mich als ein Lügener und Teüffeliſchen Menſchen, das ich lehre, vvie der Glaube in den Gottſeeligen noch ſchvvach ſey, und müſſe teglich vvachſen und zunemen, und in Schvvachheit und in Kampff fortfahren und immer ſtercker vverden. Da verdampt er mich mit ſeiner Plerophoria *und Gevviſsheit, und ſpricht: Alſo gevviſs als Gott Gott iſt, alſo gevviſs iſt Luther ein Teüffeliſcher Lügner. Denn die Chriſten ſollen gevviſs und vollkommen ſeyn, und* definirt, *daſs ein Chriſten ſey ſo heylig, from̃ und gerecht, daſs er nicht könne irren. Alſo verfürt er das arme Volk.*

(*m*) Fol. 69. conf. fol. 296.

diesem Articulo Tentationes *haben gehabt, Aber es helt doch ja den stich nicht*, *opponere meam cogitationem verbo Dei & Spiritui Sancto* &c. Nisi forte beatus Vir digitum intenderit in Serveti Dialogos de Trinitate, ejusdem plane furfuris, qui eo ipso anno itidem lucem adspexere: sed ipsi Campani liber notior fuisse videtur, quam Serveti.

§. XIII.

Ab eo tempore ad annum usque 1541. nihil prorsus de Campano eruere mihi licuit. Hoc autem anno scripsit ad eum Argentorato epistolam Sebastianus Franck (*n*),

(*n*) Exuamus hac occasione ἐν παρόδῳ personam sua Pseudonymum, aliis, quod sciam, prætermissum, nempe Augustinum Eleutherium, quo sub nomine latet Sebastianus Franck ὁ παραδοξολόγος, prænomine ejus Græco cum Latino, & cognomine Germanico cum Græco commutato. Hoc sub nomine extat Liber Latinus, quem Franckius vero suo nomine adposito antea Germanice divulgaverat, Mülhusii superioris Alsatiæ A. 1561. in 8. excusus h. t. *De Arbore scientiæ boni & mali, ex qua Adamus mortem comedit, & adhuc hodie cuncti homines mortem comedunt, quidnam ea sit, ac quemadmodum ea etiam hodie cuique, sicut Adamo, vetita sit: & quemadmodum hæc arbor, videlicet serpentis sapientia, in Adamum plantata, sit magnus ille deaster, & multiceps illa belua, cujus sit in Daniele & Apocalypsi mentio, quam adoret universus mundus. Et rursus quid sit arbor vitæ, contra totius humani*

Vir uti ipse παράδοξος, ita & mirus τῶν παραδόξων æstimator, cujus Joannes Hornbeckius in Summa Controversiarum (*o*) inter ὁμοψήφους Adami Boreeli, libelli *Ad legem & testimonium* scriptoris, meminit, eaque illum asserere refert, Christi externam visibilem ecclesiam una cum donis & sacramentis suis per corruptelas Antichristi statim ab exitu Apostolorum abiisse in cœlum, & in spiritu ac veritate occultari, atque ita a mille & quadringentis annis, ad suam nimirum usque ætatem, nullam Ecclesiæ congregationem cum sacramentis suis extitisse: neque concionatores & ministros ad id vocatos esse, quod agunt, vel licere

humani generis sapientiam, probitatem atque scientiam. Item de Majestate & natura sermonis Dei. In personati quoque Martini Bellii libro de hæreticis, in quo multorum tum veterum, tum recentiorum de iis sententiæ exhibentur, an nimirum sint persequendi, & quomodo sit cum eis agendum, comparet inter cæteras p. m. 102. sqq. & Augustini Eleutherii sententia, non esse temere habendos pro hæreticis, quos mundus pro talibus habeat. Et hæc ipsa etiam Sebastianum Franckium auctorem agnoscit. Hausta enim ea est ex ejus præfatione in tertium tertiæ partis Chronicorum librum.

(*o*) Lib. VI. p. 434. Videtur & Hornbeckio, sedulo alias hujusmodi rerum indagatori, Campanus minus fuisse cognitus. Alias enim ipsum haud dubie ob librum contra totum post Apostolos mundum scriptum cum aliis inter Boreeli ὁμοψήφους retulisset.

licere alicui diſperſam colligere eccleſiam, vel ſacramenta promere, niſi extraordinarie a Deo vocato miſſoque, & ſignis aut miraculis ad id confirmato. Epiſtola illa ex idiomate Latino, quo ſcripta erat, in noſtrum converſa Amſtelodami A. 1661. typis excuſa eſt. Ejus fragmentum mecum amice communicavit Vir, uti in omni literarum genere verſatiſſimus, ita eximiæ humanitatis laude perinſignis Jo. Conradus Zieglerus Scaphuſienſis. En Tibi epiſtolæ initium, ut ex lacinia de integro texto judicare quodammodo queas.

Sebaſtian Franck vvünſchet ſeinem Freünde Johann Campan Seeligkeit.

Gnade ſey mit eüch, mein Campane, *von dem Vatter aller Liechter durch unſern Herren!*

DAſs ihr gegen alle genannte Lehrer der Römiſchen oder (vvanns Gott beliebte) der Chriſtlichen Kirchen ſeithero der Apoſteln Zeiten biſs auf dieſen Tag eins beſinnet und glaubet: und lieber eins gegen alle empfinden und glauben, als mit allen oder je mit vielen irren vvollet: daran thut und glaubet ihr meines erachtens recht und vvohl. Und zvveiffle gar

le gar nicht, dieselbe meinung vverde eüch mit der Zeit mehr und mehr gefallen, und vvünsche, dass ihr darinn von Gott gestärket vverden möget. Denn ich zvveiffle nicht, dass nicht alle die berühmte Lehrer (deren Werk und Schrifften nu im vvesen vorhanden und im schvvang sind) die Wölffe seyen, vvelche Paulus *im Geist vorgesehen, die sich in Gottes Schaaffstall eindringen und der Heerde nicht verschohnen vvürden* Act. 20. *vvelche auch Johannes Antichristen oder Wider-Christen nennet, die bey der Apostel lebzeiten schon abgevvichen, und von denselben ausgangen seyn; sie vvaren aber nicht von ihnen* 1. Joh. 2. *massen ihre Früchte und Werke genugsam Zeügnus geben. Dann bald darnach sind erfolgt und auskommen die Werk und Schrifften von* Clemens, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Chrysostomus, Hilarius, Cyrillus, Origenes *und mehr andern, vvelche voll tobens und fremder unsinnigkeit, vveit von der Apostel Geist abgesondert, voll Gebott, Gesetz, element, und menschlicher einsetzungen.* Irenæus *erzehlte von sieben ständen und ordnungen der Menschen.* Clemens *ein Lehrjünger* Jacobi *des Apostels (vvie man vorgibt) bringt etvvas vom Feegfeür, und viel ander unnütz Geschvvätz auf die Bahn. Darauf ist alsbald*

an

an statt der Tauff mit verkehrter Ordnung der Kindertauf erfolget. Deß Herren Abendmal ist in ein opffer verändert: vvodurch, vvie ich vvarhafftig glaube, geschehen, daß nach dem Tod der Apostel die aüsserliche Gemeine Christi mit ihren Gaben und Sacramenten durch den einfallenden und verderbenden Antichrist alsbald verschvvunden, gen Himmel vveggefahren, und im Geist und vvarheit verborgen ist, also daß ich gevviß und versichert bin, daß seit vierzehnhundert Jahren hero kein aüsserlich versammelte Kirch oder Gemeine mit ihren Sacramenten gevvesen sey. &c.

§. XIV.

Anno 1546. d. 10. Junii Melanchthon (*p*) hæc de nostro ad Vitum Theodorum perscripsit: *Campanum scias in Juliacensi ditione clam perniciosissima venena contra filium Dei & contra Spiritum S. spargere, imo reipsa delere universum Evangelium. Interea se venditat Gropero, & diligitur, quia audet rabiose maledicere nostris Ecclesiis. Deus æternus Pater Domini nostri Jesu Christi, qui in baptismo filii vere patefecit se, & filium & Spiritum S. regat nos, & non sinat extingui lucem Evangelii.* Eo autem anno virulentum aliquod

(*p*) In Epistolis per Elzevirios editis p. 495.

aliquod ſcriptum in publicum emiſiſſe illum, ex alia Melanchthonis epiſtola ad Heresbachium (*q*) exarata, & his quidem verbis colligo: *Calumniæ Campani editæ ſunt, quas cum videris, quantum mali, quos motus paritura videantur, facile intelliges. Incurrit in omnes ſine diſcrimine. Nemo quidquam recte dixit præter unum hunc Thaleta Campanum. Sed privatæ injuriæ facile diſſimulari a nobis poſſunt: vos videritis, utrum Eccleſiæ hoc genus calumniarum profuturum ſit.*

§. XV.

Exinde latibula quæſiviſſe videtur noſter, neſcio an his aliisque Melanchthonis querelis apud Heresbachium, cujus magna erat in Ducatu Juliacenſi auctoritas, de illo habitis compulſus. Quum tamen A. 1553. prodiiſſet liber quidam anonymus, dogmati de Trinitate adverſus, Melanchthon eum e Campani calamo profluxiſſe ſuſpicatus eſt in

(*q*) Quæ extat in altero ejus epiſtolarum libello, a Peucero vulgato p. 398. Anni equidem indicium in ea expreſſum haud eſt, ſed alia præcedit ad eundem A. 1546. pridie Cal. Junii data, in qua Joannem, illius ex ſorore nepotem, honorifico teſtimonio ornat, utque ſumtus ipſi neceſſarios mittat precatur: in hujus autem exordio eundem, quem iterum egregiis laudibus afficit, in patriam jam reverti nunciat.

in literis ad Davidem Chytræum (*r*) datis scribens: *Opto & recte constitui Academias, & earum pium consensum eo majore cura tueri, quia crescit rabies ingeniorum. Jam oblatus est liber sine nomine autoris, palam oppugnans doctrinam de Filio Dei & de Spiritu S. & renovans Samosateni impietatem. Existimo Campanum architectum esse, qui diu latuit in arcibus Juliacensium quorundam Nobilium. Sed de hoc scripto alias plura.* Fortasse autem ista conjectura Philippum fefellit, isque liber fuit Serveti Restitutio Christianismi, isto anno impressa, cujus in fronte auctoris nomen expressum haud est, literis tantum initialibus M. S. V. in fine notatum. Et facile sane fieri potuit, ut primo auctorem Melanchthon ignoraret, eumque Campanum esse conjiceret, qui eundem fere titulum libro suo Germanico, A. 1532. edito, indiderat. Quicquid vero ejus sit, inde

(*r*) Vid. Epistolas Dav. Chytræi p. 1234. Scripsit autem eas literas Melanchthon pridie Encæniorum, quæ Jerosolymæ instituta sunt repurgato templo ante annos 1716. Instituta vero sunt illa a Juda Maccabæo anno ante natum Christum 162. die 25. mensis Casleu, qui dies in nostrum Decembrem incidit. vid. Chytræi Chronologia Herodoti ac Thucydidis p. m. 345. Collocata quoque illa epistola in Chytræanis inter eas est, quas Melanchthon ad eum Anno 1553. scripsit.

inde tamen colligere licet, Anno 1553. Campanum, nondum carcere fuiſſe clauſum. Haud dubie enim alias illius rei notitiam habuiſſet Melanchthon, qui hominem vigili cura obſervabat, cuique cum Heresbachio, ut ex epiſtolis a Peucero divulgatis liquet, anno adhuc 1559. commercium literarium intercedebat.

§. XVI.

Fuiſſe vero eum tandem in cuſtodiam datum, atque per longum temporis ſpatium in ea adſervatum, Guilielmus Lindanus me edocuit, e cujus ſcriptis, quæ ſingula hodie rariora ſunt, bina deinde hanc in rem loca producam. Quandonam autem id factum ſit, præciſe definire nequeo. Si tamen conjecturis indulgere liceat, crediderim, ſupplicium de infelici Serveto Genevæ A. 1553. d. 27. Octobris ſumtum, cujus fama in omnem orbem Chriſtianum emanavit, Ducem Juliacenſem ad Campanum, ejusdem farinæ, imo turbulentioris animi hominem, vinculis coërcendum excitaſſe. Silentio autem prætereunda haud ſunt, quæ ante ejus captivitatem contigiſſe videntur, a Bredenbachio his verbis commemorata (f): *Perſuaſe-*

(f) Sacrarum Collationum Lib. XXXIII. p. 711. Bredenbachius vero hæc hauſit e Guil. Lindani Lib. I. Cap.

suaserat Joannes Campanus miseris rusticis non longe a fluvio Rura degentibus, quod vel hodie res ipsa loquitur & testantur vicini, ne amplius austeris sese frangerent agriculturæ laboribus: non sese frustra duris vexarent, diutius fatigarent, enecarent fodiendi, arandi, metendi sudoribus, instare diem judicii: brevi omnia inundationibus aquarum delenda: indulgerent genio igitur, molliter se tractarent, suavius viverent, quod misellæ supererat vitæ rusticanæ, omnia propediem certo certius peritura. Illi stolidi stolido ac deliro prophetæ creduli, suos vendunt agellos: qui illos emit, sensit non frustra sese illum aluisse prophetam. Quæ ipsa, si vera sint, hominem in carcerem conjiciendi occasionem forsitan præbuerunt. Non autem prorsus fabulosa & ficta esse arbitror. Licet enim Bredenbachius ea ex Lindano hauserit, cui falsa comminisci, & atrocissimis conviciis adversarios onerare solemne erat, quod vel sola illa nefanda opprobria, quibus Lutherum, Calvinum & Bezam proscindere non dubitavit

cap. IX. de fugiendis idolis. Verbis autem allegatis lacuna potest expleri in Dictionarii Bæliani Tom. IV. f. 3076. edit. Roterod. recentiss. Bredenbachii enim liber ex iis est, quos bibliopola Roterodamensis nancisci haud potuit.

tavit (*t*), teſtatum faciunt: haud tamen ſemper mentiuntur Cretenſes. Erat Lindanus (*u*) Epiſcopus Ruremundenſis, atque adeo illa res ipſi, utpote in iſto tractu verſanti, notiſſima eſſe poterat. Provocare præterea veritus non eſt ad ipſa rei documenta, viva tum quaſi & palpabilia, ad vicinorum item teſtimonia, quorum ludibrio & contradictionibus ſe expoſuiſſet, ſi hæc omnia confinxiſſet; cum præſertim ea tempeſtate illorum haud pauci pontificiæ religioni nuncium miſerint.

§. XVII.

Sed audiamus jam Lindanum de ejus carcere (*x*): *Campaniſtas vocat Confeſſio Mans-*

(*t*) Cum alibi, tum præſertim in Chriſtomachia Calviniſtica & Sacramentariorum omnium vere Sathanica.

(*u*) Lindani vita & ſcripta enarrantur a Jo. Knippenbergh in Hiſtoria Eccleſiaſtica Ducatus Geldriæ, Bruxellis A. 1719. in 4. edita, Lib. V. Cap. X. p. 196. ſqq.

(*x*) In Catalogo Sacramentariorum, Chriſtomachiæ Calviniſticæ præfixo p. 36. Eadem habentur in ejus Dubitantio, quem, quod obiter hic obſervo, Germanice convertit, atque Coloniæ A. 1568. in 8. evulgavit Jacobus Rabus Ulmenſis, ὁ παραβάτης, magni Parentis, D. Ludovici Rabi, Theologi eximii, degener filius. Hunc vero de Campano locum & Gabr. Prateolus in Elenchum Alphab. Hæreticorum & Theodorus Petrejus in Catalogum Hæret. transtulerunt.

Mansfeld. a Joanne Campano, qui aliam adfert verborum cœnæ Domini expositionem, quam Carolstadiani, Zwingliani, Oecolampadiani, Suencfeldiani aut Calvinistæ. Verum ejus commentum ob intolerabilem, opinor, blasphemiam non recitat. Inter alias ejus abominationes, ac ridiculos suæ vocationis ad propheticum officium enthusiasmos, perversissimam de Filio Dei & Spiritu S. quem personam negat distinctam, pertinacissime tenet atque tuetur sententiam. Is jam annos plurimos resipiscentiæ spe in Clivia detinetur frustra captivus, cum persæpe suis deliriis illusus prophetarit, sese certos post dies carcere liberatum iri, quod nisi fieret, sancte pollicebatur suarum opinionum detestationem atque palinodiam. Ex eo autem carcere ad Lindanum examinis causa A. 1574. missus fuit quidam Campani libellus (y), in quo præcipue suam de eucharistia sententiam, novam prorsus & a reliquis omnibus abeuntem, exposuisse atque propugnasse videtur, exhiberi nimirum in ea sacramentale & mortuum, vitaque destitutum funus & cadaver Christi, quod testamento proprie conveniat: vivum enim corpus in coelis esse, in cœna vero sacramen-

(y) Cujus mentio fit in modo citato Catalogo Sacramentariorum. p. 51.

tale & mortuum. Contra hunc calamum ſtrinxit, atque Coloniæ A. 1575. in 8. typis Cholini cum aliis quibusdam edidit Lindanus Reſponſionem pro vero ac vivo Chriſti corpore in ſancta Euchariſtia adverſus Joannis Campani blasphemias (z), quam ſi nanciſci potuiſſem, forte plura Campanum concernentia inde eruere licuiſſet. Guilielmus a Gent, JurisConſultus, in libro Coloniæ A. 1584. in 8. evulgato, cui titulum fecit: *Exempla illuſtrium aliquot miraculorum, Dei beneficio in ſacroſancta Euchariſtia & corporis Dominici hoſtia edita & declarata*, p. 295. memorat Lindani Reſponſionem ad Joannis Campani Neſtorizantis atque Calvinizantis libellum, haud ita pridem ipſi examinandum miſſum, ex eaque quædam decerpta exhibet. Incompertum vero mihi eſt, an hæc quoque in lucem edita, eademve ſit cum modo dicta. Si enim ita eſſet, ſequeretur, Campanum jam ante annum 1553. ſecus ac ſupra §. XV. ſuſpicatus eram, in carcerem contruſum fuiſſe. Ita autem ibi inter cætera ad

(z) Vide Knippenbergium l. c. p. 197. qui ad ſcriptorum Lindani publici juris factorum catalogum Sylvæducis A. 1584. impreſſum provocat. conf. & Hieron. Ghilini Theatrum hominum Literatorum, Italice ſcriptum, Tom. II. p. 166.

ad Campanum Lindanus: *Quæ scribo, non ex aliorum relatu narro, sed libello authentico Gallico, ex actis publicis per Regium Secretarium Wilhelmum Gorretium scripto, & manu Notarii, sigilloque D. Officialis Reverendissimi Domini Episcopi Parisiensis munito, refero, quemadmodum tibi autographum ipsum ostendet, cui hasce tibi perferendas jam dudum paravi, Venerabilis D. L. Gerardus Meranus, ubi de tuo liquebit latibulo, quod vicini rogati notum sibi negant, tutusque erit accessus. Rebar enim fortassis te movere tandem posse perpetuam patrum nostrorum orthodoxorum sententiam (uti ipse agnoscis tuo libello de pacis consilio) de indubitata veri ac vivi corporis Domini, in S. Eucharistia præsentia, quam vel diabolus ipse Lauduni, ut nec verbis audebat inficiari, ita nec rebus ipsis dissimulare, sed post jactata sua in S. Eucharistiam convicia, blasphemasque lædorias, quibus nunc passim regiones, & Hugonottis & Goessis, vestrisque sacramentariis undique scatentes, utuntur, coactus est suum deserere mancipium, postquam ea fuisset misera Nicolaæ energumena per Reverendissimum Dominum Boesium Episcopum Laudunensem, spectante innumera populi corona religiose atque cum precibus ecclesiasticis adhibita. A vero enim non abhorrere videbatur,*

illum tali testimonio singulariter posse moveri, qui ab istiusmodi revelationibus apocalypticis spirituum (uti fertur) non raro apparentium, atque subinde (si vera narrant) colloquentium, tota hac provincia minime habetur alienus, & qui obscuram illam D. Johannis Apocalypsim post propheticam sui Juliacensis carceris, annorum viginti sex, quod ait, purgationem, sese eximie prædicat intelligere, ac prolixis commentariis illustrasse, ac neminem omnium tempora novissima se melius novisse. Ipsam vero eam historiam ne dicam, an fabellam, pro stabilienda transubstantiatione adversus Hugonotas, uti videtur, effictam, non lubet heic repetere, cum diaboli Laudunenses hodie sint suspectissimi, ac fidem suam insidiis Urbano Grandiero structis (*a*) prorsus decoxerint. Ex allegatis autem verbis conjectare licet, privatim hæc a Lindano scripta ac ad Campanum missa fuisse, quæ num deinde typis quoque expressa sint, me quidem fugit: præterea nostrum post viginti sex annorum captivitatem e carcere vel evasisse vel emissum esse, atque in latibula iterum se abdidisse. Hinc etiam eum de visionibus ac revelationibus sibi factis se jactasse,

(*a*) Vid. scripta a nobis in octavo hujus opellæ Tomo p. 507. allegata.

jactasse, adque extremam, si præsertim ea, quæ supra §. V. notavimus, conferamus, pervenisse senectam, perspicimus. Plura nobis de heterocliti capitis homine non constant.

§. XVIII.

Sectatores vero ei haud defuerunt, si cum aliis, tum Stanislao Hosio, Episcopo olim Varmiensi & R. E. Cardinali, fides habenda. Is enim in Confutatione Prolegomenorum Brentii adversus Petrum a Soto, Antwerpiæ A. 1561. in 8. impressa, aliquoties Campanianæ sectæ meminit. v. g. Lib. II. p. 42. *Omnes isti quos enumeravimus, sive sint tot tam dissectæ sectæ Lutheranorum, sive Sacramentariorum, sive Anabaptistarum, sive Suenckfeldiani, sive Picardi, sive Campani, vel Servetiani, sive quocunque tandem alio nomine vocentur, omnes, inquam, isti quamvis in multis & præcipuis fidei nostræ Christianæ dogmatibus gravissime dissentiant inter se, nec minus atrocia alteri contra alteros, quam contra Christianos, Catholicos & Orthodoxos prælia gerant, in hoc tamen uno consentiunt, quod ordinem ex Ecclesia sublatum cupiunt.* Et p. 89. *Si certam habent perpetuæ Christi præsentiæ promissionem singula veræ ecclesiæ membra,*

qualem tu putas veſtram eſſe Lutheranam: quæſo te, Brenti, fuitne tum in ſingulis præſens Chriſtus, cum plurima & ea præſtantiora Eccleſiæ veſtræ membra, partim ad Zvvinglianam, partim ad Munceranam, partim ad Suenckfeldianam, partim ad Campanam, fidemne dicam an perfidiam, ab errore veſtro defecerunt? Idem Lib. V. p. 227. ſq. *Nulla fuit Luthero cauſa, quamobrem ſic excandeſceret contra ſodales ſuos, cum præſertim hunc ei honorem haberent, quod eum ſibi viæ demonſtratorem fuiſſe faterentur —. Eundem honorem habet illi quoque Balthaſar Pacimontanus, quem primum volunt ætate noſtra pridem ſopitos ignes Anabaptiſtarum excitaſſe. Vidit is, habere ſuam factionem Lutherum, habere ſuam & Zvvinglium, non impune modo, verum etiam cum quadam ſui nominis laude. Cogitabat & ipſe ſecum: Quid impedit, quo minus & nos celebre nomen noſtrum ad poſteros transmittamus? Cur & ipſi non congregamus cœtum aliquem, ſicut Lutherus & Zvvinglius fecerunt, ſeorſum ab orbe Chriſtiano, ſic nos quoque ſeorſum & ab orbe, & ab illis? Ut habeamus & ipſi noſtram eccleſiam, & ad iſtorum impietatem amplius etiam aliquid addamus. Quid autem? Num idem a Suenckfeldio quoque, num idem a Campano & Serveto, & aliis*

& aliis plerisque factum non est? Et est quisquam ex iis, qui suum cœtum non vocari velit Ecclesiam? Immo Anno jam 1534. Sebastianus Franckius in Cosmographia sua, Germanice sub titulo *Weltbuch* in folio edita, peculiarem ipsi sectam tribuit: *Ich wolt ihr vil anzeygen, deren ein jeder sein eygne Kirch*, opinion *und auch glauben hat, als dann ist der Bapst, Luther, Zwinglin, Teüffer mancherley, Joan. Campanus, Joannes Bünderlius, Schwenckfeld, Melchior Hoffmann, Bilgram, Böhem, Pickarder, Armenier, Moscobiter.* Part. II. f. 44.

§. XIX.

Cæterum an Campanus noster unus idemque cum Joanne Campensi fuerit, dispiciendum jam venit. Ita quidem sensere ii, qui catalogum hæreticorum A. 1559. Romæ jussu Pontificis confecerunt, quem P. P. Vergerius in primo suorum Operum adversus Papatum Tomo cum annotationibus recudendum curavit. In eo enim Catalogo p. 289. edit. Verg. *Joannes Campanus sive Campensis* primæ hæreticorum classi annumeratur. Notandum vero, in Indicibus librorum prohibitorum & auctorum damnatorum, posthac emissis, nomen

Campensis non amplius comparere, sed nigro tantum theta signari *Joannem Campanum, qui contra Trinitatem scripsit* (*b*). Et revera diversissimi fuere Joannes Campanus & Campensis. Fuit hic quartus Hebraicæ linguæ, cujus peritissimus erat, laudatus eo nomine Sebastiano Munstero (*c*), in Collegio Buslidiano Lovanii professor (*d*), cujus extat Psalmorum omnium juxta Hebraicam veritatem paraphrastica interpretatio, primum edita Norinb. typis Jo. Petreji A. 1532. in 8. E dedicatione ad Joannem Dantiscum, Culmensem Episcopum & Regis Polon. apud Cæsaream Majest. tum Oratorem eodem anno data quædam memorabilia, paucis forte cognita, hac occa-

(*b*) V. g. in Indice librorum prohibitorum & expurgatorum Bernardi de Sandoval & Roxas Cardin. & Archiep. Toletani, cura Bened. Turretini Genevæ A. 1619. in 4. recuso. p. 49. in Elencho Librorum prohibitorum Francisci Magdaleni Capiferrei, Romæ A. 1640. in 8. edito p. 200. in Indice librorum prohibit. Clementis XI. auspiciis Romæ A. 1711. in 8. publicato p. 252. & in eo, qui Pragæ juxta exemplar Romanum A. 1726. in 8. prodiit, p. 202.

(*c*) In epistola nuncupatoria, Operi grammatico consummato, & ex variis Elianis libris concinnato præmissa.

(*d*) Vid. Aub. Miræum de Scriptoribus Sæculi XVI. f. 138. ed t. Fabric. Duos Joannes Campenses ex uno effinxisse videtur Kœnigius in Bibliotheca sua. p. 159.

occaſione decerpere operæ videtur pretium: *Ego tantum nativum quendam guſtum horum Pſalmorum dare volui, futurum ſperans, ut olim eccleſiæ conſenſu totum vetus Teſtamentum doctis & linguarum peritis in noſtram linguam transferendum committatur, quemadmodum audio hunc noſtrum ſummum Pontificem Clementem VII. ante nuperrimam Romanæ urbis expugnationem tentaſſe, ut videlicet ea provincia ſex Judæis & ſex Chriſtianis Hebraice peritis mandaretur.* Eandem paraphraſin cum verſione Pſalterii Latina Huldrici Zvvinglii Lugduni ex officina Seb. Gryphii A. 1533. in 16. prodiiſſe, obſervat Jacobus le Long (*e*). In Catalogo Bibliothecæ longe inſtructiſſimæ Marchionis S. Philippi, Regis Hiſpan. dum viveret, ad Belgii Fœderati Ordines Legati memoratur (*f*) Enchiridion Pſalmorum cum Joannis Campenſis ad veritatem Hebraicam paraphraſi, Antw. A. 1535. in 8. typis exſcriptum. Eadem Argentorati quoque cum quatuor Pſalterii translationibus Latinis, interpretis nempe vulgati, Hieronymi, Felicis Pratenſis & Seb. Munſteri, nec non paraphra-

(*e*) In Biblioth. S. Part. I. f. 300. edit. recentiſſ. Pariſ.

(*f*) Part. III. p. 1.

raphraseos Chaldaicæ versione A. 1545. itidem in 8. lucem vidit. Dignam insuper illam judicavit, quam in nostrum idioma transferret Georgius Frœlichius. Ad manus enim mihi est ejus *Verteütschung aller Psalmen, vvie die* Joannes Campensis *nach Hebreischer vvarheit in das Latein gebracht hat, zu gunst Teütscher* Nation, *on Glos und auslegung verstendtlich und lauter gemacht. Getrukt zu Augspurg durch Sylvanum Ottmar.* M. D. XXXVI. in 12. Frœlichii præfatio scripta jam A. 1534. d. 20. Maji est. Campensem vero docta non in Psalmos tantum, sed & præterea in Ecclesiasten Salomonis paraphrasi magnum sibi nomen peperisse testatur Aubertus Miræus (g). Possideo quoque ejus Grammaticam Hebraicam, quam A. 1544. Parisiis Christianus Wechelus in 8. impressam dedit hoc titulo: *Ex variis libellis Eliæ, Grammaticorum omnium doctissimi, huc fere congestum est opera Joannis Campensis, quicquid ad absolutam Grammaticen Hebraicam est necessarium.* Romam eum A. 1531. a Leone X. evocatum & opimo sacerdotio dotatum esse scribit Miræus, sed oppido fallitur: Leo enim X. Anno jam 1521. d. 2. Dec. ad plures abierat. A Cle-

(g) Loc. cit.

Clemente ergo VII. factum id est. Romæ autem ipsum ad annum usque 1536. esse commoratum, e literis Nicolai Clenardi ad Franciscum Hoverium Ebora eo anno exaratis (*b*) colligo, ubi is inter reliqua: *Dicit Polites te piscatum Romæ, & in navicula Petri grandem cepisse piscem. Facias me certiorem, num & meus hamus illic valeat. Quid autem? vidistine Romæ Campensem? Quid accidit homini, quod tam superbe silentium agat? provocatus a me ante biennium, necdum respondit. Conqueritur eadem de causa Polites noster. An jam est Semicardinalis? nullisne Arabicantibus locus est? An solis mercatoribus?* Roma vero illum deinde alio & forte Venetias abiisse a Contarenis vocatum ejusdem litteræ ad Joachimum Politen scriptæ (*i*) me edocent. Tandem dum per Germaniam pararet in patriam reditum, e vita emigravit (*k*), & quidem teste Miræo Friburgi Brisgojæ. Hæc ἐν παρόδῳ de Joanne Campensi, multis ignoto.

§. XX.

(*b*) Quæ extant inter cæteras ejus epistolas, Hanoviæ typis Wechelianis A. 1606. in 8. excusas, Lib. I. p. 76.

(*i*) Loc. cit. p. 98.

(*k*) Vid. Clenardi Epist. Lib. II. p. 258.

§. XX.

Nunc promiſſi memor ad brevem recenſionem libri Campaniani, cujus exemplum, quod olim Joannis Brentii, Theologi Summi, fuit, ad manus habeo, accingor. En tibi plenum ejus titulum:

Göttlicher und Heiliger Schrifft,
vor vilen jaren verdunckelt, und
durch unheylſame Leer und Lerer
(aus Gottes Zulaſſung)
verfinſtert, Reſtitution *und beſſerung*
durch den hochgelebrten Johannem Campanum.

Ein ſendtbrieff an K. M. von Denmarcken &c.
durch Nicolaum Frantz von Streitten.

Anno 1532. in 8.

Integer libellus, typis minutioribus exſcriptus, undecim plagulis abſolvitur. In epiſtola nuncupatoria ad Fridericum Daniæ Regem Nicolaus Franciſcus von Streitten, qui editionis curam geſſiſſe videtur, ſe graviter offenſum diſſidiis Theologorum atque hinc permotum eſſe ait, ut eo ſtudioſius Scripturam ſacram excuteret, & eruditorum quorundam conſilium exquireret, quorum indicio

dicio Joannem Campanum librum, Restitutionem divinarum Literarum inscriptum, concinnasse didicerit: cum igitur se legisse, atque ex ipso auctore, multis cum illo sermonibus habitis, assertorum suorum rationes ita percepisse, ut ejus institutum non potuerit non maximopere laudare, ac ei pollicem premere, utpote nihil aliud in scriptis suis docentis atque urgentis quam veram Dei & Christi agnitionem, nec suum honorem & commodum, sed unius Dei & Christi gloriam, proximique salutem quaerentis: edoctum se insuper hoc Campani libro esse, Deum omnipotentem electorum suorum tandem misertum, clausum Scripturarum librum recludere velle, ut omnibus pateat. Miror vero, qua fronte ibidem praefator ille asseverare ausus fuerit, Campanum a scripto suo procul abesse lites & amarae praelia linguae jussisse, cum tamen id bile in Lutherum inprimis & Melanchthonem effusa turgeat.

Jam ad ipsum librum, in quatuor partes distributum, accedamus, potiora inde momenta enarraturi. Agitur autem in eo de Trinitate in genere, & dein in specie de Spiritu S. vera nativitate Filii Dei ex Patre, dictis Evangelii Joannis, quibus vera Christi Dei-

ſti Deitas probatur, externo verbo Dei, Sacramento altaris, baptiſmo, precibus, morte, inferno, gremio Abrahami, reſurrectione & adſcenſione Chriſti, pœnitentia, diſcrimine baptismi Joannis & Chriſti, confeſſione & abſolutione, ſacramentorum efficacia, loco vexato 1. Cor. III. 12. ſqq. prima fide viduarum & votis, peccato in Spiritum S. libero arbitrio, juſtificatione per fidem & opera, vaticinio Eſajæ Cap. LVI. 8. ſqq. quod in Luthero & doctoribus ipſi ὁμοψήφοις completum eſſe aſſerere haud erubuit, Leviathane, filiis Dei, de quibus Gen. VI. ſignis diei extremi, jure, quod vocat, ſedentium &c.

Prima partis primæ ſectio inſcribitur *de ſancta Triade (von der heiligen Dreyfaltigkeit)*, quæ *de Dyade* potius *(von der Zvveyfaltigkeit)* inſcribenda fuiſſet. Revera enim Campanus duas tantum divinitatis perſonas ſtatuit, Patrem & Filium, ita invicem unitas, ſicuti maritus & uxor per matrimonii vinculum una caro fiunt. *Der heylige Geiſt ſpricht in der Schrifft, das Got eynen Sun hat, doch alſo bei ſich hat, das vvie Man und Weib ein Fleyſch, ein Leib und ein Weſen ſeindt, vvievvol es zvvo perſonen ſein: ſo auch Got der Vatter und Got der Sun, vvievvol es zvvo under-*

underscheiden personen, seint doch nur ein sub-stantz *und eyn gemeyn vvesen. Unnd dieses* sententzes *sigel und grundt steht* Gen. I. *und* V. *das Got sprach, Last uns einen Menschen schaffen zu unserm Bild und Gleichnuss, und vvas es für eyn Mensch gevvest sei, den er zu seinem Bilt und Gleichnuss geschaffen hab, setzt er darbei, sagende, Man und Weib schuff er sye, damit er zu kennen gibt, das er nit allerhandt Menschen zu seiner Gleichnuß dazumal gschaffen hab, sunder nur den ehlichen Menschen — — Eyn ehlich Mensch aber ist nit zvven Menschen, sunder zvvo personen in eynem Menschen, vveil es auch nur eyn Wesen ist, und nit zvvei Wesen — — So dann Got diesen ehligen Menschen Adam und Eva zu seinem Bild und Gleichnuß gemacht hat, und hie zvvo Personen eyn Mensch seindt, folgt derhalben, das auch in Got und Gotes Gestalt zvvo personen seint, und doch nur ein Got sein, vvie dann auch Christus solchs bezeügt* Johan. 10. *Der Vater und ich vvir seint eins, verstehe, durch die Götliche Verknüpfung und eynigung, vvie Man und Weib durch die ehliche Verknüpffung, zvveier Persönen in eine Gotheyt. — Und ist auch diß ehlich Bild der eynige Spiegel deß Götlichen Bilds und Geheymnuß, vver das ehlich Bild nit versteht, dem*

 ists

ists unmöglich solchs zu verstehn, vvie zvvo Personen in der Gotheit beyd Got seint, und doch nur ein Got ist und bleibt.

Adeo autem hac inventione Vir portentosus sibi placuit, ut ab Apostolorum ætate ad sua usque tempora ex hujus rei inadvertentia neminem prorsus recte de Deo sensisse, sibique uni mysterium hoc reclusum Numinis beneficio esse gloriari non dubitaret. Per Spiritum S. in sacris literis non tertiam divinitatis personam, quam diserte negat, verum essentiam, naturam ac operationes Dei Patris & Filii significari affirmat, ac propterea luculentissima oracula divina misere detorquet, rectius de ejus divinitate sentientes acerbe carpens, immo eo tandem audaciæ progrediens, ut de isthoc fidei capite in impia hæc verba erumpere non veritus fuerit: *Kein punct ist in der Welt fauler, der auch minder Grunds, und alle gevvaltige Texte vvider sich hette.* Eximium Joannis 1. Ep. V. 7. de Trinitate oraculum, cujus γνησιότητα ipse Servetus in dubium vocare ausus non est, pro suppositițio habet, auctoritate Erasmi fretus, & nactus deinde ὁμοψήφους Socini asseclas. Christum esse Dei Filium, non per adoptionem, sed veram generationem, de substantia Patris

pro-

productum, atque adeo unius ejusdemque cum illo essentiæ fatetur, sed ita, ut simul Filium aliquando non fuisse, Patremque ante Filium extitisse asserat. Hinc Scripturæ dicta, pro æternitate Filii pugnantia, ita exponit, ut Christum ante sæcula, cum mundus nondum creatus esset, ex Patre & paterna substantia genitum, principio rerum ac temporum jam extitisse quidem, attamen initium habuisse arbitretur; nihilo autem secius dici posse, in æternitate eum generatum esse, cum ante creationem nulla tempora, nulli dies fuerint. Paucula speciminis loco afferamus: *Das Hebr. 7. geschrieben ist, das der Sun keynen Anfang gehabt habe, das sagen vvir auch, dann vvir sagen, das vor aller Zeit, und ehe dann die Tag noch vvaren, er gevvest sei, dann das ist je gevviß, daß die Tage von der schöpffung Himmels und der Erden erst angefangen haben, dann das vvar der erste Tag, spricht Moses. So vvir dann mit Salomone sagen, das der Sun vor der Welt, und allen creaturen geborn sey, ist mercklich, das vvir gantz nit vvider diesen spruch sein, vvie dann auch nit gegen den* Mich. 5. *Das deß Suns Ausgang gevvest sei von anfang, und von den Tagen der evvigkeit: dann das sagen vvir auch, das er*

in der evvigkeit von anfang der Welt geborn sei. Dann das Wort, von Anfang, muß man von der Welt, creaturen, und der Zeit anfang verstehen, vvie auß Mose gesehen, das die Zeit mit der Schöpffung angefangen hat, sunst ist in der evvigkeit kein anfang, sonder eittel evvigkeit, on end, on anfang. Quo autem ordine cuncta facta sint, ita edisserit: *Christus ist am ersten aus Gott geborn, vvie vor aus Salomon und des Teüffers zeügnuß gesehen, gemacht und geschaffen, nach Christo die Engel, nach den Engeln die Welt, dann die Engel vvaren in der Welt Schöpffung schon da, vvie Christus im Job selber zeüget. Nach der Welt aber Adam, nach Adam Eva, nach Eva Cain &c. und vveil dem also, vvas ists dann das Luther* argumentiert, *das Christus darumb on anfang seiner sei, vveil er am anfang der Welt vvar? Es laut eben, ob man sprech, die Engel vvaren am anfang der Welt, oder die Welt vvar am anfang Adams, und Adam am anfang Eve, darumb seint die Engel, item Adam und dy Welt on anfang. Oder, Julius Cesar vvar am anfang deß Römischen Keysersthumbs, darumb ist Julius on anfang.*

Filium item Patre minorem, ejusque administrum in creatione mundi aliisque operibus peragendis (*seinen Amtmann, Un-*

ter-

terherren und Diener) statuit, illumque ex ea tantum ratione a Joanne Ἰὸν λόγον nuncupari autumat, quod Patris nuncius, minister & legatus fuerit: Joannis de Christo oracula ad sua usque tempora neminem præter se recte intellexisse sibi persuadens, *Und vvirt also der hoch Evangelist zu letst einmal recht verstanden, der bißher so grevvlich mißhandelt ist von allen* Scribenten, *niemans außgeschlossen.* Reliquas ejus de aliis fidei capitibus opiniones enarrare longum foret. Sufficit nobis, ostendisse, summo eum jure Anti-Trinitariis aggregari. Hoc tantum adhuc monebimus, quavis data occasione eum venenatis morsibus Lutherum ac Melanchthonem insequi, dirissimaque in illos eructare convicia, cujus rei quædam specimina exhibebimus, ut inde eluceat, quam procul a vero absit laus Campano a Nicolao Franc. von Streiten tributa, illum scripta nimirum sua dicteriis atque scommatibus in alios haud conspurcasse. De verbis institutionis Cœnæ dominicæ differens, in B. Lutherum, Virum omni præconio longe majorem, ita invehitur. *Hieauß mag man merken, vvie Luthers Rhum vvar sei, er heldt sich alleyn am Wort, und leügt dran, dann Christus spricht nit, das Brot ist beim*

Leib Christi, oder der leichnam sei beym Brot, sonder schlecht auß, Das Brot ist mein Leip. Dann vvird Luthers Rhum vvar sein, vvenn er beibringet, das mit der vvarheit nimmer geschehen mag, das auf diesem Ort, ist, so vil sei als, bei ist. Der Herr spricht in Mose, der sei verflucht, der dem Wort Gottes zu oder abthut. Nun sihet man hie klärlich, das Luther in dem Verstand der Wort hie dem Wort Gottes zuthut, vvann er, ist, für, bei ist auslegt. So lang ich nun das, bei ist, für, ist, bei ihm finde, vvill ich ihn vor ein Gotsverfluchten ansehen &c. Cum, Melanchthonem in locis communibus Sacramentis vim justificandi denegare, memorasset, in hæc homo mordacissimus erupit verba: *Verflucht aber, und abermal verflucht sey Luther sampt seiner gantzen Rot, vveil sie vvissen, und allezeit vvol gevvißt haben, das diser jr gesell die Christenheyt mit diesem seinem jrthumb so grevvlich verfürt hat, und noch verfürt, dennocht jn nit zu dem Widerruff halten, ja das mer ist, diser ehrgeitzig kopff hat selber offenlich vvider diese Meynung* disputirt *und geschlossen, das sy irrisch vvere, aber under Zvvinglis namen, und verschönt also sich selber. Auß diesem einigen stuck kan man leichtlich all ihr hertz und fromkeyt kennen,*

nen, als das ſie lieber ſehen, das die gantz gemaine, die der Herr mit ſeinem teüren Blut erkaufft hat, verloren gehe, dann das ſie ein lötlein jrer ehren verliren vvolten &c. Abſona vero & inſulſa plane ſunt, quibus Lutheri nomen, æternitate dignum, naſutus homo allatrat, verba: *Es vvär vielleicht beſſer, das er zu ſeinem vätterlichen, rechten, teüflichen namen vviderkerte, vvelchen jm Got (der beſſer vviſſen vvürd, vvas es für ein Mann ſein ſol) auff der tauff geben hat, und hieſſe ſich mit den ſeinen nit Luteriſch, ſondern Luderiſch, dann vvenn mans vvol beſibet, befindt es ſich, das er mehr ein Luder in der ſchrifft ſein tauffnamen nach gevveſt ſei, dann ein Lutherer, dann vvie ein Luderbube ſein holtz fürt, ſo hat diſer die Schrifft gefürt, und je lenger je mehr.* Quaſi vero beatiſſimo Viro vel Luderi vel Lutheri nomen, cujus poſterioris & omen habuit, utpote reipſa candoris atque integritatis, nec non ſinceritatis in docendo laudem meritus, in baptismo inditum fuiſſet. Hinc etiam liquido patet, quam inique ii agant, qui Campanum ſua βδελυγματα in Lutheri, omnia ſane alia ad divinæ ſcripturæ normam docentis, ſchola didiciſſe mendaci ore blaterant. Cæterum Campanus ſæpenumero ad alium,

eumque majorem, librum Latino idiomate ſcriptum provocat, in quo varia, quæ hic extremis duntaxat digitis tetigit (*l*), prolixe & ex inſtituto excuſſerit. Ibi inter cætera ſe oſtendiſſe ineptus thraſo, Campana, quæ olim jam in proverbium ceſſit, arrogantia & ferocia tumidus, gloriatur, integrum Danielem a Luthero & Melanchthone corruptum, & ne unicam quidem illius viſionem ab iis recte expoſitam eſſe, Wittenbergenſes item ſupra ducenta loca in Latina Novi Teſtamenti verſione, A. 1529. publici juris facta, Lutherum autem, quem Saxonicum Papam inconcinniter vocat, in Germanica ejusdem translatione quinquaginta adulteraſſe. Sub libelli finem de jure, uti nuncupat, ſedentium agit, de quo cum Latino ſermone integrum opus ſcripſiſſe in præfatione Nic. Franc. von Streitten refert. Quid per illud jus intelligat, ipſius verbis ediſſeramus. *Paulus* 1. Cor. 14. *hat ſolche Ordnung ingeſatzt, das man die gemaine Prophecien halten ſol, das iſt, wenn die gmeyn zu hauff käme, umb die ſchrifft auszulegen,*

(*l*) Pars tertia præſertim & quarta opuſculi, quod præ manibus habemus, paucis tantummodo pagellis conſtant, & majoris operis compendium atque συνόψει complectuntur.

legen, das dann zvveen oder drei ſolchs thun ſolten, und darüber auch eim jeden, ſo viel ihrer iſt, macht gibt und gebeüt, ſo die erſten irren, jre ſententz *zu ſagen. Weil dann der Herr dieſe Weiß durch Paulum ingeſatzt hat, hätt Luther ſolche vveiſe in Brauch müſſen bringen, vveil er der letzten Gemain Diener geſatzt vvar &c.* Ita videlicet homo maledicus ubique Megalandrum noſtrum ſcopum, in quem tela ſua conjiceret, ſibi conſtituit.

§. XXI.

Ex antea autem dictis conſtare arbitror, Campanum infelicis Serveti ſequacibus annumerandum haud eſſe. Nam licet uterque articulum de Trinitate ferociter impugnaverit, diverſiſſima tamen id ratione fecerunt. Ille Chriſtum ante ſæcula a Patre generatum profitetur: hic, antequam in utero Mariæ efformaretur, eum non extitiſſe ſtatuit. Ille Chriſtum verum Dei Filium ex ipſa ſubſtantia Patris ante orbem conditum productum, atque adeo ejusdem divinæ οὐσίας participem aſſerit: hic negat & pernegat, Servatoremque eam ob cauſam Dei filium vocari vult, quod Deus patris vicem ſuppleverit, ac illum ſine ſemine vi-

rili in Mariæ utero efformaverit. Ille Christum *τον λογον* dici, per quem Deus ceu adminiſtrum ſuum omnia creaverit, exiſtimat: hic ipſi hoc nomen in ſacris litteris tribui pertinaciter inficiatur, neque per eum conditum eſſe mundum concedit. Ut alia taceam. Ipſe etiam Campanus ab Apoſtolorum ævo neminem præter ſe recte de Deo Patre & Filio ſenſiſſe perhibet, atque adeo nec Servetum, cujus vero ne verbulo quidem usquam meminit, forte ipſi, dum ſua ſcriberet, nondum cogniti. B. Lutherus Campanum ab Eraſmo Roterod. formatum eſſe cenſuit, *Eraſmus*, inquiens *(m)*, *iſt Rex Amphiboliarum — er hat Crotum, Egranum, Witzeln, Oecolampadium, Campanum, und andere Schvvermer und Epicurer geſeet und gezeüget.* Procul dubio hisce verbis ſignificare voluit, Campanum ſua ex Eraſmi ſcriptis hauſiſſe dogmata, vel ſaltem, hunc illi occaſionem ad comminiſcenda ea præbuiſſe. Sed ingenue fateor: Virorum Summus, uti maximi etiam heroës ſuos patiuntur manes, hic humani aliquid paſſus eſſe mihi videtur.


§. XXII.

(*m*) In Colloquiis menſalibus f. m. 294. edit. Francof. 1568.

§. XXII.

Liceat hac occaſione corollarii loco quædam adjicere de alio ejus commatis homine, qui Anno MDL. in patria mea hujusmodi etiam dogmata diſſeminare anniſus eſt. Fuit is Claudius quidam, Conſtantienſis, qui nonnullis civium, & muliercu-lis præſertim quibusdam perſuadere contendit, Mariam Virginem præter Chriſtum plures peperiſſe filios; non eſſe tres in una eſſentia divina perſonas; Patrem ſolum eſſe verum Deum, majorem Filio; Scripturam S. eſſe corruptam, præcipue primum Evangelii Joannæi caput, cujus initium ſic legendum ſit: *In principio erat verbum, & verbum illud erat Dei* &c. veritatem nondum in apricum productam eſſe, ſed a ſe demum, utpote qui cœleſte manna comederit, producendam, eque tenebris eruendam: omnia ſomnia ſe interpretari poſſe, atque futura etiam inflatu divino prænunciare; omnes civitates & magiſtratus, qui fidem ſibi non habeant, interituros, & quæ ſunt alia. Sed urbe ejectus eſt homuncio, iique, quibus virus ſuum inſtillare laboravit, rectius edocti. Hæc e tabulis publicis didici. In præfatione autem ſecundæ epiſto-

epiſtolarum Schwenckfeldii partis, quæ in quatuor libros iterum diſtributa eſt, video, in quarto ejus libro exhiberi illius epiſtolas adverſus varias Anabaptiſtarum ſectas, quas inter & Claudiana memoratur: ſed & tertio & quarto libro, cum duo priores ad manus mihi ſint, deſtituor, hincque dicere, quæ ibi de Claudio ac ejus hæreſi habeantur, nequeo.



II. ME-

II.

MEDITATIO

DE

PRAESTANTIA RELIGIONIS CHRISTIANAE, COLLATA CUM PHILOSOPHIA SOCRATIS.

Viro, Pietate, Eruditione, Meritis in Rem Sacram & Literariam, Candore denique, Praecellentissimo.

JOH. JAC. HULDRICO,
In Illustri Gymnasio Tigurino
Eth. & Juris. Nat. Professori
Clarissimo

S. P. D.

Jacobus Zimmermannus.

§. I.

ACcuratam, rerum olim inter Philosophos gestarum, sententiarumque, quas profitebantur, cognitionem, multum conferre

ferre ad Eruditionis & Sapientiæ profectum, nemo est Eruditorum, qui temerè in dubium vocet: ut enim taceam, omnia, quæ de laudibus *Historiæ* in Universum dici possunt, *Historiæ Philosophicæ* competere; multa sunt, quæ singulari quâdam ratione, ejus *præstantiam* demonstrant. Refert *Illa* veterum ac modernorum Eruditorum cogitata, de Deo, ejus virtutibus, mundi adspectabilis origine, ingenii humani viribus, imbecillitate; *describit fata* & veri nominis Philosophorum & insanientis Sapientiæ Consultorum; *istorum* præclara inventa, mores ad virtutem compositos; *horum* linguæ prælia, superbiam, ingenii lusus &c. Hæc omnia autem ita comparata sunt, ut animo veri cupido plus adferant utilitatis, quam ea, quæ in *Historia Civili* quam maximè spectantur. In *hac* enim Vita *Imperatorum, Belli Ducum*, res pace belloque aut bene aut male gestæ, utramque paginam faciunt. Paucissimi autem illorum, qui literis operam navant, si vel maxime omnia rite perpendunt, solidum exinde fructum percipere possunt. Quælibet vitæ conditio, priva sibi vindicat prudentiæ adminicula, & præcepta. Homini, qui per omnem vitam literis operam dat, Exemplum viri

docti

docti & pii, plus utilitatis conferet, ad personam, quam sustinet, rite tuendam, quam contemplatio vel eminentissimarum virtutum, quibus hic vel ille Belli Dux, nobilitatus fuit. *Historia* verò *Philosophica* veritatis amanti ut multa suppeditat argumenta, animum a pravis studiis & erroribus abducendi, virtutem & veritatem amandi; ita animum mirifice perficit, & voluptate perfundit. *Qui veterum Philosophorum* (ut de recentioribus jam nihil dicam) *Scripta evolvit*, vel me tacente, de iis, quæ dixi, persuasus erit, & probarunt hoc satis, Viri in his literis versatissimi, *Cudvvorthus*, *Stanlejus*, *Menage*, *Jonsius*, *Heumannus*, *Brukerus* aliique, quorum pervulgata sunt nomina. Nullum autem gravius est argumentum, quam quod *Illa* mirum quantum conferat ad *Religionis Christianæ Excellentiam* & *divinam originem demonstrandam* & *defendendam*. Solent Increduli summis laudibus extollere *rationem*, & *ejus vim*, laudare perpetim *Philosophiam*, quæ nulla mysteria, i. e. ut illi putant, dogmata rationi contraria credenda imponat, profiteri, nîl in *Revelatione* præclare dictum, quod ipsa ratio invenire non possit; ad *hanc* igitur *solam* in rebus credendis recurrendum, cætera aut igno-

ignorantiæ, aut superstitioni, aut Sacrificulorum fraudibus deberi. At qui *Historiam Philosophicam excolit, quantum ratio valeat, quæ ejus vis sit simul* & *imbecillitas, clarissimis exemplis edocetur.* Non *provocamus* hîc ad plebem, quæ levissimis etiam suspicionibus ducitur; non ad immanes ritus Gentium; non Sacrificulorum decreta insulsa; sed ad virorum summâ ingenii vi præditorum, hominum per omnem vitam veritatis inquirendæ studio deditorum, sententias & dogmata. Imo *provocamus* ad eos inter Christianos, qui ingenii acumine & philosophicarum rerum peritiâ, omnium confessione celeberrimi sunt, simulque acerrimo studio, Religionem Christianam examinarunt. *Fatentur Illi omnes*, se divinâ Revelatione adjutos accuratiores de rebus divinis notiones adeptos: *Hanc solidissima argumenta* suppeditasse, veritates naturâ cognitas, illustrandi, demonstrandi; imo se sæpissime adactos fuisse ad *divinam Revelationem* tanquam sacram quandam anchoram in rebus dubiis confugere. Legant, qui hac de re dubitant Summorum Virorum, *Werenfelsii*, *Lokii*, *Clarkii*, *Leibnizii*, *Turretini*, *Clerici*, *Stillingfleti*, scripta, & si quo pollent ingenii acumine, veritatisque

tisque amore ſentient, quid *Revelatio* conferat ad *rationem perficiendam*. Placuit & mihi pro ingenii viribus ſpecimen hujus rei exhibere *Exemplo Philoſophiæ Socratis cum Religione Chriſtianâ, collatæ*. Præterquam autem quod argumentum hujus disquiſitionis ſit *graviſſimum;* ſingulari quâdam occaſione ad illam inſtituendam invitatus fui, quam breviter narrabo. Incidit aliquando in itinere, inter eos, qui communi vehiculo utebantur, ſermo de libro quodam tum temporis edito, in quo auctor Excellentiam Religionis Chriſtianæ demonſtrare voluit. Unus ex Comitibus, Vir Juvenis, ſed erecti Ingenii, haud inſcitè de eo judicabat; „ addidit tamen fruſtra omnes illos eſſe, qui „ libros ejusmodi conſcriberent; neminem „ hactenus repertum, qui Revelationis ali- „ cujus neceſſitatem perſpicuis argumentis „ probaſſet; rationis præcepta & culturam „ Philoſophiæ ſufficere, ad bene beatéque „ vivendum. Provocabat præprimis ad „ Philoſophiam Socratis, hanc omnia in ſe „ complexam, quæ ad emendandam homi- „ nis mentem facere poſſent; Incompara- „ bilem illum Philoſophum non ſolum Re- „ ctorem & Gubernatorem hujus Univerſi „ agnoviſſe; ſed & ſaluberrima præcepta ad „ gene- „

„generis humani emendationem apprime „necessaria, in medium protulisse, & ad „virtutem deamandam cunctos adhortatum; homines, siquidem vacivas illi præ„buissent aures, & dictis ejus obtemperas„sent, æternum felices futuros fuisse. Re„ligionem Christianam efficaciora argu„menta ad virtutem colendam non attulis„se; fortunæ & superstitioni tribuendum, „quod tanta hominum multitudo illius de„creta adprobaverit, cum in ea præter præ„cepta, quæ ratione innotescunt, nihil sit, „quod perspicaci ingenio satisfacere possit; „sermonem ibi esse de miraculis, Myste„riis, quæ cum rectæ rationis principiis ma„nifeste pugnent. &c.„ Multa, ut in ejusmodi familiaribus colloquiis fieri solet, ad hæc regessi, quibus ille alia reposuit, quæ hîc repetere animus non est. Altè animo, quæ ille dixit infixi, & non semel, de hoc argumento meditatus fui. Cum autem ab aliquot annis diligentius quam antea Veterum Philosophorum de rebus divinis Systemata evolverem; in animum induxi, singulari quâdam dissertatione, controversiam illam examini subjicere; *non eo certe animo*, quasi crederem me majori demonstrationis vi, quam hactenus factum, Religionis Chri-

stianæ

stianæ Præstantiam probaturum; meo enim memet pede metior, & quam paupertini ingenii homo sim, pulcherrimè scio; sed ut ostendam me inter eos esse, qui existimant, nihil Religione Christiana excellentius esse, aliosque ad eam amandam pro viribus inducam.

Hoc autem *qualecunque* & *periturum* forsitan (quod tamen tanquam non periturum scripsi) *Specimen Tibi Cl. Huldrice* offero, tanquam Amoris & Venerationis qua Te complector, τεκμήριον. Gravissimæ mihi hujus rei sunt rationes. *Nihil dicam de singulari favore, quo me ab ineunte adolescentiâ complexus es; nihil de egregiis præceptis & consiliis, quibus animum meum imbuisti; nil de paterno affectu, quem mihi a longo jam tempore exhibuisti, & adhuc exhibes. Non referam egregia tua in Rem Sacram, & Literariam merita. Omnes enim norunt, Te inter præcipua Helvetiæ nostræ Ornamenta numerandum. Hoc tantum dicam, paucissimos, si a Te discessero, esse, qui Religionis Christianæ divinam vim & excellentiam altius introspexerint, præceptorum Christi præstantiam & admirabilem efficaciam majori argumentorum robore probaverint, & animis hominum infixerint. Testes sunt omnes qui Te*

publice dicentem non sine stupore audiverunt, qui κεντρον illud, quod in eorum animis reliquisti, non semel senserunt; Testes Sermones illi Sacri ponderosissimi, qui omnium manibus teruntur, & late per Orbem Eruditorum & piorum adplausu excepti sunt. Quis igitur melius de præstantiâ divinæ illius Religionis judicare? quis præceptorum excellentiam certius pervidere posset, quam qui publice, & privatim id unice agit, ut homines ad eam amplectendam, & amandam, gravissimis argumentis instiget, ipsoque opere se Ducem exhibeat? Nolo ulterius virtutes tuas ingenii mei culpâ deterere; novi modestiam tuam, quæ omnium tuarum virtutum præcipuum Ornamentum est, nihil enim soles ad ostentationem, Omnia ad conscientiam referre. Probibere tamen non potes, quo minus quâvis datâ occasione in laudes tuas eam, & quantum æstimem Cl. Huldricum *ostendam.* Accipe igitur, serenâ fronte, hoc qualecunque mei in te adfectûs, specimen. *Gallum offerre debet, cui Hecatombe deest.* Sicubi autem cespitavero, aut minus rectè ratiocinatus fuero, *Tu* me in viam reduces. Ego placide monentem sequar. Sed jam ad rem.

§. II.

§. II.

Antequam autem Comparationem inter Religionem Christianam, & Philosophiam Socratis instituamus, quædam in antecessum monenda sunt. *Primum est, hanc collationem institutam esse æquissimis legibus;* non quæritur, quid hic vel ille Eximius Philosophus Revelationis luce adjutus, præstare potuerit, in explicandis, & demonstrandis, Religionis Naturalis principiis & dogmatibus; sed quid præstiterit, Vir perspicacis ingenii, qui Revelatione destitutus, ingenium tamen quantum potuit excoluit. Fatemur modernos Philosophos, divinâ Revelatione adjutos, Systema Theologiæ Naturalis conficere posse, quod exacte cum rationis præceptis conveniat; qui enim ab initio juventutis, Christianæ Religionis principia imbiberunt, simulque rationem omnibus viribus excoluerunt, notiones, quas S. Literæ de Deo, rebusque divinis, suggerunt, ita apte cum iis, quæ solâ ratione innotuere, connectunt; ut tandem existiment, se hæc omnia solius ratiocinationis ope, invenisse. Talis est plerorumque qui *Deistæ* vocantur Religio. Religionis Christianæ dogmatibus & præceptis innutriti,

capita Theologiæ naturalis examini subjiciunt, & immemores eorum, quæ aliunde acceperunt, omnia tribuunt rationis suæ viribus. Æquum autem est, ut in hac *collatione* eos audiamus, qui diligentissime quidem rerum divinarum contemplationi vacarunt; Revelationis tamen alicujus luce destituebantur. *II.* Increduli contendunt, ad vitam bene beateque transigendam, sufficere, si quis rationi convenienter vivat, non opus esse, ut quis insolita quædam Sacrorum Antistitum decreta credat, requiri tamen probitatem vitæ, quantum in hac rerum caligine fieri potest, exactissimam; identidem sibi objici Philosophorum Superbiam, vitiligandi de rebus nullius momenti pruriginem, prava animi studia &c. Sed tales veri Nominis Philosophos non esse. Opponemus ergo iis Virum præstantissimum, & Philosophum rectioris exempli, Socratem nempe. *Is Philosophiam è cœlo in terram devocavit: non disputavit de rebus abstrusis, & ingenii humani vim superantibus; non subtilis Geometra, aut Metaphysicus fuit, non terminorum faber;* sed qui omni studio id egit, ut hominum emendaret mores. Is non multa dogmata discipulis credenda imposuit, aut auctoritate suâ, quos rationibus

non

non potuit, in suam perduxit sententiam. Philosophus præterea, non voluptati, non ambitioni, non avaritiæ, aut aliis pessimis animi adfectionibus deditus. Talem autem aptissimum esse, ad rationis præcepta investiganda, explicanda, probanda, confitentur omnes rerum æqui arbitri. *Socratis Vita, inquit M. Erasmus, nihil aliud mihi videtur, quam temperantiæ & tolerantiæ Exemplum.* Quod si igitur probare possumus Socratis Philosophiam, longe infra dignitatem Religionis Christianæ subsistere, *æquum est, ut illi agnoscant*, nihil Religione Christianâ excellentius esse, nihil denique ad mentem mortalium perficiendam, & emendandam, hâc Religione aptius. *III.* In hac comparatione non imitabor Rhetores, qui ut adsequantur, quod intendunt, nullâ habitâ æquitatis & veritatis ratione, aut in cœlum tollunt laudibus, quod defendere volunt, silentio autem involvunt, quæ scopo, quem intendunt, contraria videntur; aut quæ vituperare in animum inducunt, ita deprimunt, ut nullum plane modum teneant, nec ullam mentionem faciant eorum, quæ verum decus adferre possent. *Confitebor* igitur, *Socratem fuisse virum eminentissimarum virtutum*, Virum optimum,

sapientissimum, excellentissimum. Aut silentio involvam, aut fidem non habebo iis, quæ quidam minus æqui Judices, Athenæus, Epicurei, Aristophanes, contra eum in medium protulerunt. Laudes è contra, quas Viri Cordati in eum congesserunt, minime reticebimus, ut omnes, quotquot sine partium studio rem examinant, fateantur, nos candide egisse, neque quicquam eorum oblitos, quæ ad famam & virtutes viri illustrandas, quantum per brevitatem licet, facere possent. *IV.to* denique Philosophiam Socratis conferemus cum Religione Christianâ, quatenus in V. & N. T. libris, non hoc vel illo Theologiæ Systemate, continetur. Postquam enim Christiani in partes iverunt, multa hinc inde ex variis principiis Religioni adjecta sunt, quæ a primæva simplicitate recesserunt. Postulamus igitur, ut dicta nostra ex limpidissimis Revelationis fontibus repetantur, & ad rectæ interpretationis regulas, quæ de doctrina Christi & Apostolorum in medium proferimus, exigantur. Neque enim in brevi hac disquisitione singillatim loca omnia, quibus nitimur, adferre potuimus.

§. III.

§. III.

Comparemus igitur primo *methodum docendi Socratis*, cum *eâ, quâ uſus* eſt *Chriſtus & Apoſtoli.* Obſervandum hîc ante omnia, ſcopum Socratis fuiſſe, uti homines emendaret, & ad præſtantiorem vivendi rationem transferret. Breviter, ſed more ſuo eleganter hoc monet Plutarchus περι πολυπραγμοσυνης p. m. 307. ἧς (de Philoſophia Socratis loquitur) ἦν τελος ἐπιγνωναι τα ἑαυτȣ κακα και ἀπαλλαγηναι. Hîc ſane ſi ullibi ſummâ opus eſt prudentiâ & arte. Plerique Athenienſium artem recte ratiocinandi ignorabant; neque quælibet homines perſuadendi methodus æque eſt apta; præterea, non plebs tantum Athenienſis; ſed & nobiliore genere nati, præjudiciis religionis imbuti erant, cultuique publice recepto pertinaciter adhærebant. His igitur præconceptæ opiniones de patrio cultu eximendæ, & genuina Religionis principia methodo perſpicuâ, omniumque captui accommodatâ, inſtillanda. At Socrates perpetuâ fere ſemper *Ironiâ* uſus eſt. Hæc methodus autem *primo difficilis captu, neque apta ad plebem convincendam.* Probe tenendum eſt, non quæri, utrum hæc methodus ad retun-

G 5 dendos

dendos Sophistas apta sit; sed utrum illa methodus adhibenda sit Ei, qui quosvis ab erroribus revocare, & ad veritatis cognitionem, virtutisque amorem, perducere vult, quod negamus. Vel enim is, qui ita ratiocinatur, *ex concessis* tantum argumentatur, vel ex *principiis evidentibus* & *immotis*. Si *prius*, ejusmodi argumentatio nihil aliud probat, quam concessâ quâdam propositione, consectarium aliquod inde elici posse, quod alter cum quo disputatur, aut nondum perspexit, aut hactenus admittere noluit. Interim tamen ille, qui ad propositionem ejusmodi concedendam, vel invitus cogitur, nondum videt, ubi erraverit, aut cur huic potius, quam alii sententiæ, album calculum adjiciat: Si *posterius* est, omnia principia exactissime sunt cognoscenda, & continuus propositionum nexus attentissime est perpendendus, cum facile is, qui ad concedendam aliquam propositionem nos adducere vult, hiatum in ratiocinando committere possit; præterea ad omnia Consectaria attendere debent auditores, & institutâ comparatione eorum, quæ concesserunt, cum iis, quæ alter inferre vult, singula non semel in animo volvere & revolvere. Imo non solum ad singularum propositio-

positionum vim & totius ratiocinationis nexum attendere debent, sed & ad ipsa verba, quæ errorum non minima causa sunt. Ad ejusmodi autem Examen instituendum, plerumque plebs inepta est, neque etiam tempus habet ejusmodi ratiocinationes perpendendi: clara & nuda veritatis propositio sine longioris ratiocinationis ambagibus, magis plebis animos convincit, quam ex arte petita argumentatio. Experiuntur hoc omnes, qui ejusmodi hominibus instituendis animum adjiciunt, non semel vel clarissimæ propositiones repetendæ, inculcandæ, infigendæ sunt. Hinc *Viri illi Magni* qui ante duo Secula Religionem a Superstitione, quæ orbem quasi inundavit, purgarunt, nudâ & apertâ veritatis propositione, plus effecerunt, quam Philosophi longis ratiocinationibus. Quod si igitur Socrates emendare voluit genus humanum, & Semina veritatis & virtutis hominibus instillare, faciliori quâdam via uti debuisset, imprimis si plebi hâc ratione quam maximè consulere voluit. 2.° *hæc methodus hominum, præsertim superborum animos potius irritat quam emendat.* Ejusmodi Ironicâ ratiocinatione ex scopo ejus, qui eâ utitur homines vel inviti eo reducuntur, ut se erraſſe sentiant. Sophistæ autem,

autem, quorum causâ hanc methodum adhibuit, ingenio non destituebantur quidem, sed superbiâ, & propriæ laudis opinione turgidi erant. Hi argumentis ad silentium redacti, irritabantur & ignominiâ quadam se adfectos putabant: quamprimum autem hæc opinio animo insidet, mentis acies turbatur, & ad iram, vindictam, ejusque, cum quo disputatio intercessit, contemtum abripitur: experientia hoc satis confirmat. Plerique Eruditi *gloriæ animalia* sunt, altos gerunt spiritus, neque ad confessionem erroris, facile adduci possunt: quod si hoc in illis rebus fiat, quæ Religionem non concernunt, quid putemus factum fuisse, si Socrates eos persuadere voluit, insanas esse publice receptas de rebus divinis sententias? hinc etiam paucissimi Sophistarum hâc ratione emendati & a pravis studiis abducti sunt. Ipse Socrates testatus est, hac disputandi ratione, non semel irritatos hominum animos. Unus nobis sufficit locus, qui in Apologia Platonis pag. m. 9. extat. ubi ita loquitur. προς δε τουτοις οἱ νεοι μοι ἐπακολουθουντες, οἱς μαλιςα σχολη ἐςιν, οἱ των πλουσιοτατων αὐτοματοι, χαιρουσιν ἀκουοντες ἐξελεγχομενων των ἀνθρωπων. Και αὐτοι πολλακις ἐμε μιμουνται, εἶτα ἐπιχειρουσιν ἀλλους ἐξεταζειν. Κἀπειτα οἶμαι εὑρισκουσι

κᴕσι πολλὴν ἀφθονίαν, οἰομένων μὲν, εἰδέναι τι τῶν ἀνθρώπων, εἰδότων δὲ ἢ ὀλίγα, ἢ ᴕδέν. ἐντεῦθεν ᴕν οἱ ὑπ' αὐτῶν ἐξεταζομενοι, ἐμοὶ ὀργίζονται, ᴕχ' αὐτοῖς. Καὶ λέγᴕσιν ὡς Σωκράτης τίς ἐστι μιαρώτατος, καὶ διαφθείρει τᴕς νέᴕς. i. e. *praterea adolescentes maxime opulenti, quive a negotiis vacant, me ultro sequentes, delectantur, cum refelli a nobis homines spectant. Quin etiam ipsi nonnunquam me imitati, alios deinde confutare contendunt: quâ quidem in re, plurimam reperiunt turbam hominum aliquid se scire putantium, cum aut nihil sciant, aut perparum. qui vero ab his convincuntur, non tam illis quam mihi redduntur infensi, clamantque esse Socratem quendam sceleſtiſſimum, Juventutisque corruptorem.* Hinc etiam factum, ut non tantum veteres, ſed & multi modernorum, exiſtimarint Socratem, ambitione commotum, perpetuâ ejusmodi Ironia uſum fuiſſe. Perraultius *dans ſes Paralleles des anciens & des Modernes* tom. IV. p. 139. ubi *le Chevalier : J'ay toûjours hay, l'air mocqueur, & ironique avec lequel Socrate parloit aux gens: p.* 141. inquit *L'Abbé: ces ironies ſont offencentes, comme c'eſt leur nature de l'etre presque toûjours, & ſi elles nous plaiſent dans les Ouvrages de Platon, c'eſt, que nous ſommes bien aiſes, de nous divertir, avec So-*

crate,

crate, aux depens de ceux, a qui il parle, lesquels au moins que d'etre bien stupides, devoient en etre trés malcontents. Chevalier. Si ces Ironies m'offençent apres deux mille ans, moy, qu'elles ne regardent point, quel chagrin & qu'elle indignation ne devoient elles point causer aux personnes interessées? vous en dires ce, qu'il vous plaira, mais il n'est point d'un homme veritablement sage, & vertueux, de se divertir de la sorte. L'Abbe. Je suis persuadé, qu'en cela Socrate contrevenoit a la loy naturelle, qui nous deffend, de faire a autruy ce, que nous ne voudrions pas qui nous fut fait. Idem sentit auctor libri, cui titulus: *la fausseté des vertus humaines;* nimirum superbiam & ambitionem hujus rei causam fuisse contendit. Sed in horum tamen sententiam, ambitionem quod attinet, concedere non possum; licet credam, hac ratione Sophistas aliosque irritatos fuisse: & licet sine dubio hominem vanæ sapientiæ laude turgidum, ejusmodi quæstionibus retundere; ratiocinantur hi, imprimis postremus, ex intentione Socratis, quæ methodus actiones hominum examinandi periculosa est. Vel optimorum Virorum actiones in vitia mutari possunt, si perversum iis finem subesse posse, sufficiat dixisse. Notum est

est Eruditorum judicium de *Tacito*. Æquitati proin, & præceptis Religionis Christianæ contrarium mihi esse videtur, ejusmodi Judicium: aliter sane Paulus I. Cor. XIII. v. 7. alibique loquitur, quam auctor libri supra citatus. Cum Socrates ubique professus sit, se eum in finem Ironiâ illâ uti, uti Superbos Sophistas retunderet, & moderatos efficeret, acquiescendum puto, licet concedam, minime hac ratione Socratem consecutum, quod intenderat. 3.^tio *hac methodus ideo apta non erat ad Athenienses a pravis studiis & erroribus abducendos, quod tum temporis Eruditi Athenienses artem Sophisticam excolebant, & utramque in partem de quavis re disputabant.* Novimus autem plebem plerumque parum curare Eruditorum disputationes; perinde ipsi est, quid illi in Scholis inter se litigent; præterea cum multi, præsertim illo, (quanquam & nostro) tempore, de rebus nullius momenti, de lanâ caprina, imo aliquando, non de rebus, sed verbis, inter se litigent, paulo perspicaciores e plebe crediderunt, sine dubio, aut omnes, aut plerasque eorum concertationes, nullius ponderis esse; disputare illos potius, quis doctior, perspicacior, loquacior sit, quam quid Societati & homi-

hominum Saluti conducat. Saltem plebs Sophistam, a veri nominis Philosopho, qualis Socrates erat, vix distinguere poterit. Quâ ratione igitur fieri potuit, ut plebs Atheniensis, Socrati, perpetuâ fere Ironiâ utenti, vacivas aures præberet, & dictis ejus obtemperaret, si & cæteri Sophistæ, quorum ingens numerus erat, identidem strophis suis obstrepuere? Sine dubio credidit, si forte ejusmodi disputationi interfuit, utrosque loquaces esse homines, aut nos, quid verum falsumque sit, scire non posse. Haud obscuré fatetur hoc ipsum Socrates apud Platonem in Phædone p. 37. postquam enim dixit homines facile eo adduci posse, ut & rationes, & homines odio habeant, ita pergit: Και μαλιςα δη ὅι περι τους ἀντιλογικους λογους διατριψοντες, ὀιθ᾽ ὅτι τελευτωντες ὀιονται σοφωτατοι γεγονεναι τε και κατανενοηκεναι μονοι, ὅτι ουτε των πραγματων ουδενος ουδεν ὑγιες, ουδε βεβαιον, ουτε των λογων. ἀλλα παντα τα οντα ἀτεχνως, ὥσπερ ἀν Ευριπω ἀνω. και κατω ςρεφεται, και χρονον ουδενα ἐν ουδενι μενει. Πανυ μεν ουν, ἐφην ἐγω, ἀληθη λεγεις. Ο'υκ ουν ὦ Φαιδων ἐφη, ὀικτρον ἀν ειη το παθος, ει ὀντος δητινος ἀληθους, και βεβαιου λογου, και δυνατου κατανοησαι, ἐπειτα δια το παραγιγνεσθαι τοις τοισι λογοις τοις ἀυτοις, τοτε μεν δοκουσιν ἀληθεσιν ειναι, τοτε δε μη, μη ἑαυτον τις αἰτιωτο, μη δε την ἑαυτου ἀτεχνιαν,

ἀλλα

ἀλλα τελευτων δια το ἀλγειν ἀσμενος ἐπι τους λογους διατελοι των δεοντων της ἀληθειας τε, καὶ ἐπιστημης στερηθειη. i. e. *præcipue vero illis id evenit, qui plurimum rationes contradictorias agitant. hos enim scis putare tandem se sapientissimos evasisse, solosque animadvertisse, neque in rebus neque in rationibus esse sanum aliquid, aut firmum; sed omnia revera tanquam in Evripo sursum deorsumque jactari, nullumque tempus in aliquo permanere. Vere nimirum loqueris, inquam. Nonne inquit ægritudo hæc Phædo miserabilis esset, si cum ratio aliqua vera firmaque sit, comprehendique valeat, postea autem auditis hujuscemodi rationibus, quæ modo afferre vera, modo falsa videntur, aliquis hinc in ambiguitatem deductus, non se ipsum, neque ejus inertiam ob id accuset, sed tandem velut æger culpam omnem a se ipso, in ipsas transferat rationes, & in reliqua vita eas odio habeat, atque vituperet, rerum ipsarum veritate scientiâque privatus.* Hinc etiam, Aristophanes, ansam arripuit *Summum Virum* publice traducendi; quam comœdiam, uti Veteres perhibent, æquissimis auribus accipiebant Athenienses. Num autem credibile est, omnes ita occœcatos futuros, si Socrates nudâ & apertâ Veritatis professione usus fuisset, & perpetuâ illâ Ironiâ absti-

nuisset? Orta tandem etiam a Socrate *Academicorum Secta*, quæ singularem voluptatem quærebat, in oppugnandis & defendendis quibusvis, sive veris, sive falsis Sententiis. Verum equidem est, Socratem Scepticum non fuisse, secus ac contendit *Illustris Huetius*, cujus rationes alibi examinamus: verum etiam est, ipsum perpetuâ Ironiâ non semper usum, sed aliquando aperte amicis interrogantibus, mentem suam aperuisse. Testatur hoc Xenoph. mem. L. IV. p. 503. Ed. Bas. quæ brevitatis causâ latine tantum dabo. *Multi eorum, qui sic a Socrate redarguebantur, non amplius eum adibant, quos ideo molliores putabat: Euthydemus vero, non aliter arbitratus, se posse laude dignum evadere, nisi quam sæpe versaretur cum Socrate, nunquam amplius aberat ab eo, nisi aliquid urgens cogeret: nonnulla etiam imitabatur illorum, in quibus Socrates studebat. Qui, cum sic eum videret affectum, minime turbabat argutus, clarissime vero ac simplicissimè omnia ei exponebat, quæcunque opinabatur oportere hominem scire, ac in eis studere: Igitur subtiles & industrios & ingeniosos efficere suos auditores non festinabat, sed ante ista putabat oportere moderatos eos facere, cum eos, qui absque moderatione in hujuscemodi*

valeant,

valeant, magis injuriosos arbitraretur, ac potentiores ad malè faciendum fore. Ex quo loco patet, *1.°* verissimum esse, quod dixi, multos eâ, quâ usus est, disputandi methodo ab eo alienatos fuisse. *2.°* methodum illam ad retundendos præprimis Sophistas ab eo adhibitam fuisse, & posito demum vanæ opinionis tumore, simpliciter, quæ dicenda essent, monuisse. *3.tio* paucos hâc ratione emendari potuisse. Quis enim nescit, *miraculo proximum* esse, *hominem Superbum* & *inflatum* ad moderati animi studium, & ignorantiæ confessionem perducere. Ex quibus omnibus concludimus, methodum docendi, quâ usus est Socrates, minus aptam fuisse, Atheniensium animos ab erroribus revocandi, & meliores reddendi.

§. IV.

Comparemus jam *methodum docendi Christi & Apostolorum.* Sunt viri haud indocti, qui vellent Christum & Apostolos eodem genere argumentationis usos esse, quo utuntur Geometræ; putantes, ita Religionis Christianæ veritatem, solidiori fundamento suffultam fore, nec tot disputationes locum habituras. Non dicam ipsius rei naturam ejusmodi methodum ferre non

posse, & miraculis Christum, quicquid minus perspicuum videbatur, satis probasse; hoc tantum dico, ejusmodi methodum minime aptam fuisse, homines ad verum Dei cultum perducendi. Paucissimi mortalium eâ ingenii perspicaciâ præditi sunt, ut longiorem & paulo difficiliorem ratiocinationem rite intelligere possint; temporis præterea penuriâ laborant, ad examen ejusmodi instituendum, districti negotiis, ad vitam hanc tolerandam spectantibus; quod si minime propter hoc impedirentur, obstaret tamen pigritia, quo minus diu ejusmodi examini inhærerent; præsertim, cum præjudicia de Religione, & pravæ animi adfectiones, identidem animum a veritate, rite perpendenda, abstrahant. Quod si præterea Judæorum, ad quos in viam veritatis reducendos, Servator noster missus erat, indolem contemplemur; videbimus ingenium eorum, percipiendæ accuratæ demonstrationis minime capax fuisse. Pertinaciter ritibus suis inhærebant, & ad oracula veteris testamenti & temere arreptas traditiones potius, quam ad subtiles ratiocinationes provocabant. Tandem, si hac methodo usus fuisset Servator noster, pro excellenti quidem Philosopho habitus fuisset,

minime

minime autem promisso Messiâ. Rectissime igitur, ac sapienter Servator noster hanc methodum neglexit. Non usus est praeterea *perpetuâ* illa *Ironiâ*, quâ delectabatur Socrates, quâ Judaeorum animos potius a se abalienasset, & in censum Sophistarum relatus fuisset; cum & inter Judaeos, uti observarunt Eruditi, tum temporis ejusmodi genus hominum disputax fuerit; non usus tandem est *methodo* quâdam *analyticâ*, & ab ideis innatis incipiens, ad id, quod intenderat, probandum progressus est; quemadmodum nonnulli, nostro tempore, simplicissimum Christi & Apostolorum sermonem, in minutissimas partes solvere & resolvere solent. Nihil hîc, quod artem, nihil, quod Scholam vel minimum sapiat, reperis. „Omnia (verbis Excellentissimi „Genevensium Theologi J. A. Turretini „utor) plana ac facilia, non aliunde, quam „ex vulgi usu, & recepto sermone desumta. „Similitudines, parabolae, ex rebus obviis, „ac velut e trivio. Argumenta, ratiocinationes, „non quae doctos solos afficiant, „sed quarum vim vel rusticus, atque „idiota, possit agnoscere. Quae quidem „omnia ita sapienter suis quaeque locis „aptantur, ut res vel maximè sublimes ipsis „

 quasi„

„quasi sensibus subjiciant.„ Ita *divina* illa *Oratio*, quam in monte habuit, specimen hujus rei egregium est; in *quâ solâ*, quicquid Socrates & Celeberrimi Philosophorum habuere alicujus pretii, veluti in Compendium contracta, *suavi* & *pathetico* sed & *claro* & *perspicuo* sermone proponit. Servator noster aliquando *parabolis* & *similibus* ex usu vulgi petitis utebatur, ita facilibus captu, uti concipi haud possit, quâ ratione homo, vel mediocriter, attentus, sensum ignorare potuerit: non possum mihi temperare, quin adscribam elegantissima verba M. Erasmi, quæ extant in aureo libello, methodo nempe compendio perveniendi ad veram Theologiam, pag. m. 137. „Nullum autem (inquit) familiarius do„cendi genus, nec efficacius, quam per „*Similium Collationem:* ea Christus a rebus „vulgatissimis sumit, qui, suam doctrinam „quam maxime popularem esse, voluit. „Quis enim non vidit jaci semen in ter„ram? quis non conspexit, piscatores jacien„tes retia? quis nescit palmites amputatos „exarescere? atque hæc vulgata mire no„vat, ad suam Philosophiam accommodans, „De Scotidarum argutissimis subtilitatibus „paucorum est disserere; in his promtum

„est

eſt quibuslibet philoſophari. Vides exo-„
rientem Solem, exhilararis; quid volu-„
ptatis ſenſurus, ſi cordis oculis exoriatur„
Sol ille juſtitiæ? moleſta res eſt morbus„
corporis; quanto moleſtior animi mor-„
bus; horres contagium peſtis corporalis;„
multo magis vitanda morum peſtilentium„
contagio. Res elegans tibi videtur, hor-„
tus omni florum & arborum genere ver-„
nans; quale ſpectaculum animus inno-„
centiâ virens, ac virtutum omni genere„
exuberans? vides ſerpentem, habes exem-„
plum Chriſtianæ prudentiæ; vides colum-„
bam, habes imaginem Chriſtianæ Simpli-„
citatis; vides cervum, habes Symbolum„
admonens, avide ſectandas divinas lite-„
ras &c. ita Erasmus.„ Hæc omnia tamen pro temporum, hominumque ratione mire temperavit, nec omnia, quæ credenda erant, uno impetu effudit, aut omnia omnibus eodem tempore indixit. Quin etiam diſcipulis, & futuris Religionis Chriſtianæ propagatoribus, per intervalla, animi ſui ſenſa, & divina Eloquia, aperuit; in alia tempora, alium animi eorum ſtatum, quædam protrahens. Imprimis vero operam dabat, ut ante omnia animos eorum præpararet, ad ſata accipienda, ſeu, ut clarius

 loquar,

loquar, voluit, ut præjudicia Sectæ deponerent, & pravas animi cupiditates eradicarent; tum demum mentem divinam indolem Religionis Christianæ percepturam; hinc summa adhortationum ejus hæc erat: *mentem mutate, & fidem habete Evangelio meo.* Verum est, Socratem continuis illis quæstionibus, homines ad sui cognitionem & moderati animi studium, perducere voluisse; Sed cum accuratâ quâdam ratiocinatione uteretur, ad Scholæ regulas exactâ; & vel invitos, ad ignorantiæ confessionem adducere vellet, factum est, ut multi, partim ratiocinationis nexum non intellexerint, partim ab eo alienati fuerint, & crediderint, id tantum eum agere, ut alios confunderet, & summam disputandi peritiam ostenderet. *Hæc* autem *divini nostri Servatoris* methodus, omnibus ingeniis erat attemperata, quam simplices adsequi, nec Eruditi spernere poterant. Discipuli, & Religionis ejus propagatores Apostoli, eandem triverunt semitam: aliquando tamen Capita quædam Religionis momentosa, paulo accuratius, multis argumentis, probarunt; præsertim, cum inter illos qui fidem dederant Religioni Christianæ, multi exorti sint, qui a simplicitate divinæ illius do-

ctrinæ

ctrinæ recesserunt, aliosque turbare conati sunt. Quod si Apostoli allegoriis aliquando utebantur, illæ breves erant & ab hominibus istorum temporum facile intelligebantur, quæ nobis aliis disciplinis deditis, alii sermoni, moribus denique adsuetis inusitatiora, videntur. Hæc qui attente perpendit, & ingenii humani indolem perspectam habet, ni fallor fatebitur, *Socratis quidem methodum, si ἀκρίβεια philosophica spectetur, subtiliorem longe fuisse, docendi ratione, quâ usi sunt Christus & Apostoli; Christi vero & Apostolorum ad emendandum genus Humanum, multo accommodatiorem, ac præstantiorem, fuisse.*

§. V.

Præstantia Religionis Christianæ patet ex eo, quod Christus & Apostoli, opiniones, cum æternâ hominum salute pugnantes, minime aut silentio involverint, aut toleraverint, multò minus probaverint; Socrates vero superstitionem tum temporis grassantem, & opiniones noxias de Diis, eorumque cultu, publice non rejecerit; Sed suo adhuc exemplo comprobaverit. Qui homines a pestilentissimis erroribus revocare, & ad cultum Deum decentem inducere vult ille clare, rotunde,

omnia ea proponere debet, quæ homines, quo minus recte Deum colant, impedire possunt. Rectus de Deo sensus, & genuina attributorum ejus contemplatio, fundamentum sunt, omnis cultûs & religionis. Quod si igitur ejusmodi homo sciat, eos, quos emendare vult, aut Deum Summum mundi Rectorem ignorare, aut opiniones de Eo habere, quæ Sanctissimæ ejus Naturæ, & virtutibus contrariæ sunt, summâ eum ope niti decet, ut illas ex animis eorum radicitus evellat, & rectiora edoceat, nulla dissentientium, nullâ religionis publicè receptæ, nullâ periculi, habitâ ratione. *At Socrates nec Cultum Deorum, nec Oracula, nec Sacrificia, nec divinationem rejecit,* quod jam ostendemus. Xenoph. initio memorab. p. m. 441. Ed. Bas. defensurus Socratem ait. *πρωτον μεν ἐν, ὡς ἐκ ἐνομιζεν, ἐς ἡ πολις νομιζει θεες, ποιῳ ποτ' ἐχρησαντο τεκμηριω; θυων τε γαρ φανερος ἠν, πολλακις μεν οικοι, πολλακις δε ἐπι των κοινων της πολεως βωμων.* i. e. *hoc igitur primum quod non coleret Deos, quos etiam Civitas, quo argumento ostenderunt? cum sæpissime tum domi tum etiam in aris communibus civitatis eum constet sacrificasse.* Ibid. p. 450. *τα μεν τοινυν προς τες θεες φανερος ἠν, και ποιων και λεγων, ἡπερ ἡ Πυθια ὑποκρινεται τοις ἐρωτωσι πως*

δει ποιειν ἢ περι θυσιας, ἢ περι προγονων θεραπειας, ἢ περι ἀλλου τινος των τοιουτων. ἥ τε γαρ ἡ Πυθια νομῳ πολεως ἀναιρει ποιουντας ἐυσεβως ἀν ποιειν. Σωκρατης τε ὅυτως και ἀυτος ἐποιει, και τοις ἀλλοις παρῄνει, τους δε ἀλλως πως ποιουντας, περιεργους και ματαιους ἐνομιζεν ειναι. i. e. *Circa igitur Deos eo modo videbatur dicere, & facere, quo Pythius illis respondet, qui interrogant, quomodo oporteat agere, aut de immolationibus, aut de majorum observantiâ, aut de aliis hujusmodi rebus. Sicut enim Pythius de immolationibus jubet, quod recte agat is, qui consuetudine Civitatis utatur; Sic etiam Socrates ipse faciebat, cæterosque admonebat: eos vero, qui aliter agebant, curiosos & vanos arbitrabatur.* Clarius adhuc mentem hoc de negotio aperit p. 510. quæ brevitatis causâ latine tantum dabo. *Dic mihi, ait, o Euthydeme, qualem tu putas pietatem esse? at ille: Optimum quidpiam me hercule, ait. Habesne & qualem pium hominem esse dicas? mihi, inquit ille, is pius esse videtur, qui Deos veneratione prosequatur. Licetne quo quisque voluerit modo Deos honorare? Non, inquit, sed lege quâ expositum sit, quid facere conveniat. Quicunque igitur secundum leges faciet, scitne, quo pacto Deos oporteat venerari? puto, inquit. Qui igitur norit Deos honorare, non aliter putat*

putat hoc oportere facere, quam quemadmodum novit? minime, inquit. Estne quisquam, qui Deos honoret aliter, quam putet oportere? non puto equidem. Qui igitur teneat leges circa divinum cultum positas, is profecto Deos secundum leges honorat? Vehementer inquit. Qui igitur Deos secundum leges honorat, is, uti oportet, honorat? quid ni? qui uti oportet honorat piusne est? maximè. Qui ergo circa divinum cultum leges positas sciat, recte a nobis pius definiatur. Ita, inquit, videtur. Ex quibus locis patet, Socratem, cultum receptum, non modo ſubvertere noluiſſe, ſed & inſanos eos exiſtimaſſe, qui aliter ſentirent, & agerent. Num autem hoc decet Philoſophum, aut Virum probum? num ab eo generis humani emendatio exſpectari poteſt? num legi Civitatis potius, an æternis quas de Deo habemus Ideis, attemperandus eſt cultus? quam præſtitiſſet, ſi rotunde dixiſſet, ſoli, ſoli, inquam, omnium rerum Creatori, & Gubernatori, cultum eſſe exhibendum! Sane hîc non præſtitit, quod de ſe confeſſus eſt in Critone Ἐγω, inquit, ȣ̓ μονον νυν, ἀλλα και ἀει τοιȣτος, οἱος των ἐμων μηδενι ἀλλῳ πειθεσθαι ἠ τῳ λογῳ ὃς ἀν μοι λογιζομενῳ βελτιϛος φαινηται. *Ego non tantum nunc, sed etiam ſemper ejusmodi fui, uti*

meo-

meorum nemini, sed rationi parerem, quæ mihi ratiocinanti, optima videretur. Sane si hoc Axiomatis loco ponendum est, cultum Deo, νομῳ πολεως, esse exhibendum, vel absurdissimæ de Deo sententiæ, & opiniones, sunt adprobandæ, & detestandus etiam cultus, nunquam est abrogandus. Ita Atheus quis, vel Scepticus, esse potest, & simul tamen identidem ingeminare, cultum patrium minime esse mutandum. Ita Sext. Emp. LIX. p. 560. Ed. Fabricii de Sceptico suo ait: Ταχα γαρ ἀσφαλεστερος παρα τους ὡς ἑτερως φιλοσοφουντας, εὑρεθησεται ὁ Σκεπτικος: κατα μεν τα πατρια ἐθη και τους νομους, λεγων εἰναι θεους, και παν το εἰς την τουτων θρησκειαν, και εὐσεβειαν, συντεινον ποιων. *fortasse enim stabilior, ac constantior, invenietur Scepticus, quam ii, qui aliter philosophantur: siquidem profitetur, Deos congruenter patriis moribus & legibus, & facit quidquid pertinet, ad eos piè colendos:* hinc recte ait Cl. Editor in notis: *Ineptum & ab* ἀσφαλεια *philosophica repulsum prorsus ac remotum, quod ita profitetur esse Deos, eosque se colere, non quales* ἀσφαλως *persuasus est, haud inficiandis rationibus, sed* κατα τα πατρια ἐθη και τους νομους, *professurus ita Chimæram quamcunque* ἀσφαλως, *atque cultu prosecuturus, si moribus ita receptum & cautum legibus*

patriis

patriis esset. Quis igitur Socratem non graviter peccasse fatebitur? aut enim persuasus fuit cultum publice receptum falsum esse, aut ignoravit. Si persuasus erat, cur palam hoc fassus non est, & quantum in se, ad cultum Deo Soli exhibendum, cunctos adhortatus? Si ignoravit, ineptus erat ad religionem castam hominibus instillandam. Novi Platonem in Evtyphrone & libro secundo de Republica, adserere, Socratem improbasse, quæ de Diis finxerant Poëtæ. Sed, qui Deos ritu patrio colendos esse vult, num ille jure culpare potest eos, qui receptæ opinioni constanter adhærebant? illi enim, qui Deos, uti legibus receptum erat, colebant, dicere poterant, circa Cultum Deorum, axiomatis loco hoc tenendum: *A cultu patrio ne latum quidem unguem recedendum est.* Quid hîc reponere potuisset Vir optimus, quod veri amanti satis facere potuisset? Si enim crassiores tantum plebis de Diis opiniones se rejicere dixisset, statim in promtu responsio erat, Religionem plebis esse religionem publice legibus stabilitam, sequi ergo, vel ex *Ipsius principiis*, nihil hîc mutandum. Si aliud animo pressit, in medium erat proferendum. Ex adductis supra locis satis patet, Socratem Ora-

culorum

culorum auctoritatem non rejecisse; cultûs enim normam ad Oraculorum responsa referebat. Notum autem est, multum ea contulisse ad superstitionem augendam; magnus erat hominum ad Ea concursus, magna auctoritas. Omnia autem in illis Oraculis ad fraudem composita fuisse, adeo luculenter probarunt *doctissimi Viri* v. Dalen, Fontenelle, Basnage, ut pauci posthac futuri sint, qui Diabolo effata Oraculorum adscribant. Quis autem dubitet, Socratem scivisse, Oracula non Deorum providentiâ, aut curâ edi, sed meras esse fraudes versutissimorum Sacrificulorum, cum nostro tempore fallaciam eorum detexerint Eruditi. Ipse autem omnes circumstantias nosse probè potuerit. Sane cæteri Philosophi, qui nec acumine ingenii, nec amore veritatis, cùm Eo certare poterant, aperte sibilis exceperunt vanissimam hominum de divinitate Oraculorum persuasionem. Scio, posse mihi opponi locum Plutarchi de dæmonio Socratis p. 580. in quo, postquam Vir πολυμαθεστατος Socratem laudasset, quod Philosophiam repurgasset, addit: ἡ παν ἐπαγγειλαμενῳ λογῳ ἀγαθον και το συμφερον, τῳ διδασκειν εἰς θεους ἐπαναχωρειν, της των πραξεων ἀρχης ὡς τα λογου καταφρονουσα, και την ἀποδειξιν ἡ δοκει

διαφερειν ἀτιμασασα, προς μαντευματα τρεπεται και ὀνειρατων ὀψεις. i. e. quæ, (ſc. Philoſophia) cum omne bonum, atque utile, ad principia rationis referre profiteatur, eo quod ad Deum recurrere ſemper docet, principium actionum unâ cum ratione negligens, & demonſtrationem, in qua pretium ejus poſitum eſſe videbatur, poſtponens, ad Oracula, Somnia, atque Viſa, convertitur. Sed quemadmodum falſum eſt, quod in antecedentibus Plutarchus adſerit, Socratem nempe a Superſtitione philoſophiam liberaſſe, ita minime etiam probavit Plutarchus, Socratem Oracula repudiaſſe. Confirmatur hoc, ex ipſa Platonis Apologia, in qua ad teſtimonium amici provocabat, qui perhibuerit, Oraculum dixiſſe, Socratem omnium hominum Sapientiſſimum eſſe; quod ſi divinam auctoritatem illi minime tribuiſſet, malignum & ſuperbum ſe exhibuiſſet, ſi coram Judice eo provocaſſet. Quæ de Oraculis dixi, idem de divinationibus intelligi volo. Xenoph. Libro I. memorab. περι δε των ἀδηλων, ὁπως ἀποβησοιτο μαντευομενους ἐπεμπεν ει ποιητεα. και τους μελλοντας οικους τε και πολεις καλως οικησειν, μαντικης ἐφη προσδεισθαι. i. e. *de illis vero, quorum incertus exitus eſſet, a Diis, an ſuſcipienda ſint,*

dæ sint, petere hortabatur: asserebatque omnibus, qui aut domum, aut civitatem recte habitaturi sunt, opus esse divinatione. Idem Lib. I. p. 450. εἰ δὲ τι δόξειεν αὐτῷ σημαίνεσθαι παρὰ θεῶν, ἧττον ἂν ἐπεισθῆ παρὰ τὰ σημαινόμενα ποιῆσαι, ἢ εἴ τις αὐτὸν ἔπειθεν ὁδοῦ λαβεῖν ἡγεμόνα τυφλὸν, καὶ μὴ εἰδότα τὴν ὁδὸν, ἀντὶ βλέποντος καὶ εἰδότος. καὶ τῶν ἄλλων κατηγόρει, οἳ τινες τὰ παρὰ τῶν θεῶν σημαινόμενα, ποιοῦσί τι, φυλαττόμενοι τὴν παρὰ τοῖς ἀνθρώποις ἀδοξίαν. αὐτὸς δὲ πάντ᾽ ἀνθρώπινα ὑπερεώρα, πρὸς τὴν παρὰ τῶν θεῶν ξυμβουλίαν. i. e. *si quando autem quicquam a Diis sibi ostendi putabat, minus persuasus fuisset præter ostensa facere, quam si quis persuaderet ei, ducem in via cæcum pro vidente recipere, & viæ ignarum pro cognoscente. Illos autem, quicavendo hominum opiniones, præter illa, quæ Dii consulerent facerent, stoliditate accusabat. Ipse vero consultationem divinam omnibus anteferebat humanis.* Idem Lib. IV. p. 504. τὸ δὲ καὶ εἰ ἀδυνατοῦμεν μὲν τὰ συμφέροντα προνοεῖσθαι, ὑπὲρ τῶν μελλόντων, ταύτην αὐτοὺς ἡμῖν συνεργεῖν διὰ μαντικῆς τοῖς πυνθανομένοις. φράζοντας τὰ ἀποβησόμενα, καὶ διδάσκοντας ᾗ ἂν ἄριστα γίγνοιντο. i. e. *quod autem*, inquit, *quando nobis impossibilis est, futurorum Providentia, ipsi nos in hoc juvant per divinationem exitum rerum interrogantibus, manifestantes*

atque docentes, quonam pacto quam optime fiant, magni Amoris est. Vides Socratem divinationem minime neglexisse, licet autem Ille forte aliter loquebatur, quam sentiebat, patet tamen eum publicè nunquam voluisse eam taxare. Histrioniam autem illam multum ad superstitionem augendam fecisse, adeo notum est, ut nihil supra: hinc Cicero recte funditus illam subvertendam putabat, licet ipso opere æque ac Socrates nil mutare decreverat. Quod si hæc igitur omnia in Summam colligamus, fateri necesse est, Socratem nec Philosophi, nec Viri Boni officia præstitisse, dum hæc Superstitionis fulcra non solum non subverterit, sed & auctoritate suâ probaverit. His enim sublatis, via ad cultum puriorem strata est. Stantibus autem iisdem, nulla melioris & emendatioris cultus inter homines obtinendi, spes est. Intercedit tamen, præter alios, hic Ingeniosissimus Vayerius *de la vertu des Payens* p. 592. dicens. *On prouve trés mal son idolatrie, par les termes, dont ses disciples se sont servis, dans leur Apologies, quand ils ont ecrit, qu' il n' avoit rien innové au fait de la Religion, ajant toujurs vecu pour ce regard, comme les autres, & usé des Sacrifices, selon qu' ils etoient alors en usage. Car deja*

deja leur propre interet, & la crainte de la cigüe les peut avoir fait parler de la sorte. D'ailleurs il y a lieu de dire, que Socrate, qui n'avoit que la foi implicite, se contentoit de reconnoitre un seul Dieu dans la loi de la nature, sans vouloir, pour cela troubler le gouvernement public, par l'introduction d'un nouveau culte, dont il ne pouvoit user, sans violer les loix de l'Etat: Et que s'il a sacrifié a quelques divinités Athenienes, ça ete vraisemblablement par une nüe reconnoissance des puissances, d'un seul Dieu, qu'il adoroit, sous des noms differens. Sed male defendit Virum aliâs præstantissimum Eruditus Vayerius: primo enim aliunde, quid senserit fecerit-que Socrates, scire non possumus, quam ex discipulorum testimoniis, unde igitur patebit, eos hac in parte tempori inserviisse? 2.° eo ipso, quod Socrates cultum patrium sequebatur, nec Philosophi nec Viri Cordati officium adimplevit. Et quantum videtur, doctissimus Vayerius ipsemet nil tentasset ad cultum Idololatricum Ecclesiæ Romanæ subvertendum. Nimirum ubi tanta est Ecclesiæ auctoritas parum valet & conscientia, & Philosophia. 3.tio Si vel maxime, dum Deos Atheniensium coluit, aliud animo agitavit, nondum tamen excusari

 potest;

poteft; *nec enim in causa religionis Histrionem agere licet*, & aliud præ se ferre, aliud credere, præsertim in iis, quæ castum Dei cultum spectant, quæque sine offensione Dei, & hominum, tegi haud possunt.

§. VI.

At *divinus* noster *Salvator* longissime ab hac viâ recessit. Cum mundo adparuit, non minus depravatus erat status Judæorum, quam Gentilium. *Judæi* equidem divinam habebant Revelationem in Scriptis Mosis & Prophetarum contentam, quam tamen adeo neglexerant, ut nonnisi tenuis umbra veræ religionis remanserit; traditionibus variis ea, quæ ad verum Dei cultum pertinebant, mire adulteraverant. Hinc Spretis momentosissimis veritatibus, quæ ad vitam pie degendam, & summam felicitatem consequendam faciebant, ea sectabantur, quæ sine mentis emendatione, facile præstari possunt. Hæc autem minime tulit *divinus* noster *Servator*, provocabat denuo ad Legem & Prophetas. In purgatione animi à pravis adfectionibus, in vivendi ratione ad voluntatem Numinis exactâ veram pietatem consistere ingeminabat. Non quæri, utrum Hierosolymis, vel in monte Samariæ,

mariæ, Deum adorarent, sed utrum verâ mentis ad Deum ubique præsentem conversione hoc facerent. Parum juvare ipsos, quod ab Abrahamo oriundi essent, illum sibi placere, qui ad exemplum Abrahami pietatem unice sectaretur. Messiam se esse, unicam Spem Fidelium, Causam unicam nostræ cum Deo reconciliationis, publice docebat, licet haud ignoraret, quam hoc ab opinionibus plerorumque alienum esset.

Cum autem Religionis, etiam minime puræ, Antistites ubique multum valeant, & receptas semel sententias pertinaciter defendant, eorumque etiam, penes quos rerum summa est, favorem vulgo obtineant, facile fieri potest, ut metu eos offendendi absterriti viri veritatis minus amantes, receptam publicæ Religionis professionem, minime eo, quo decet, fervore, aggrediantur, sed inter familiares tantum mussitent, eamque albis dentibus rideant. Sed *divinus* noster *Servator* Pharisæos, genus hominum pestilens, & ad genium Seculi totum compositum, publice taxavit, & mores eorum ad vivum depinxit. Eosque præcipuam Religionis tantopere deturpatæ, morumque depravatissimorum, Causam esse, in

media etiam turba, pronuntiavit; & licet facile prævideret, versutos illos Histriones, ad Sui Internecionem omnia paraturos; nunquam tamen a sanctissimo Instituto destitit: noluit *Ille*, Deum coli νεμῳ πολεως, quemadmodum Socrates, noluit, ea quæ Dei sunt, aliis tribui, gravius vulnus & altissime inhærens non fomentis alendum sed penitus tollendum, & vel ense resecandum esse, rebatur, ne pars sincera etiam trahatur. Similiter *Apostoli* exemplum *Ejus* sequebantur. Et ut de paganis solis jam dicam, in ipsa florentissima urbe Atheniensium *unicum mundi* Rectorem deprædicabant, cultum Deorum publice reprehendentes, frustra ringentibus insanientis Sapientiæ Consultis, qui diversissimam philosophandi rationem sequentes, in superstitione tamen & ritibus receptis defendendis, in unum conspirabant. Argumentabantur illi ἀπαιδευτοι, sed summis Philosophis candidiores, de Deo, & virtutibus ejus, de naturâ cultus casti, & Deo placentis, licet haud ignorarent, Philosophos illos existimare, se solos sapere, & quid verum rectumque sit, nosse. Nolebant hi tempori inservire, eaque, quæ ἀκινητα esse videbantur tolerare. Imo quod magis est, cum persuasi erant, fidem in Servatorem

vatorem nostrum, aliaque, cum his connexa Religionis capita, ad consequendam salutem, creditu necessaria esse, *ea publice profitebantur*, nec ullis minis, persecutionumque æstu, ab excellentissimæ religionis professione, absterreri poterant; licet haud ignorarent, homines perversos sannis ejusmodi res excepturos esse: hinc & de resurrectione corporum nostrorum, dogmate plane Paganis ignoto, non solum præsentibus Philosophis, sed & Viris summæ dignitatis loquebantur, ea gravitate & fiducia, uti facile adparuerit, nec delusæ mentis somniis nec subtilibus Sophisticationibus deceptos esse Viros optimos & pientissimos. Athenienses & cæteri pagani μυστηρια sua, seu potius, tetra & ridicula deliramenta coram plebe velabant, & nonnisi Initiatis retegebant: *Apostoli* uti prudenter, & caste, τα βαθη τȣ θεȣ edisserebant, sic vel ideo se a divino Servatore missos dictitabant, ut quæ Seculorum vitio obscurata essent, in lucem proferrent, & quæ hactenus orbis ignoraret, cunctis mortalibus annunciarent. Hac demum certe ratione Religio aliam induit faciem, & divinâ adsistente gratiâ, superstitio, quæ orbem inundavit, migrare, excellentissimæque Deum colendi rationi,

cedere debuit, quod ne ſubtiliſſimi quidem Philoſophi unquam præſtare potuerunt. Verum eſt interim, Apoſtolos quædam in Judæis & Gentilibus toleraſſe, neque ad ritus omnes, quibus erant, imprimis priores adſueti, abjiciendos eos coegiſſe. Prudenter ferebant, quæ tolerari ſine ſalutis diſpendio, poterant. Sed primo ſtatim edocebant cunctos, in quo veræ Religionis indoles conſiſteret. Et ſi quando de myſteriis R. Chriſtianæ loquebantur, eorum θεοπρέπειαν ſimul oſtendebant. Neque *diſciplinam* aliquam *Arcani* circa dogmata & ritus obſervandam injunxere, quæ ſequentibus demum Seculis, non ſine caſtæ Religionis damno, introducta eſt. Neque (ut hoc in tranſitu dicam) enim adprobare poſſum quorundam Virorum doctorum ſententiam, exiſtimantium, hodierno Religionis ſtatui, enaſcentibus indies tot Religionis ἐμπαίκταις conducibilem quam maxime fore, hujus *diſciplinæ Arcani reſtaurationem.* Aut enim dicendum eſt, dari in Religione Chriſtiana μυςήρια adversâ fronte cum evidentiſſimis rationis principiis pugnantia, aut veritates ſaltem captum noſtrum quidem ſuperantes, minime autem contradictorias, ſed Deo dignas. Prius nemo adſeret, qui Religionem

Chri-

Chriſtianam, ſine ſtudio partium examinaverit, neque etiam adſerunt hoc, Viri docti. Poſterius concedimus quidem, ſed nihil hîc credendum imponitur, quod homines perſpicaces, & imbecillitatis ingenii humani probe gnari, admittere non poſſint; cum in illis diſciplinis, circa quas ſubtiliſſimorum Virorum cura verſatur, multa paſſim ejusmodi obſerventur δυσνοητα. Quid igitur prohibet, quo minus publicè, & privatim, coram plebe & eruditis, illa poſſint proponi? neque hactenus ſublimia illa ingenia, quæ cæteros homines deſpectare ſolent, hactenus immotis rationibus demonſtrarunt, μυστηρια illa in ſacris Revelata apertam involvere contradictionem. Loquor autem de myſteriis, quæ in S.Literis traduntur, non autem confictis Pontificiorum myſteriis. Saltem notum eſt, per hanc diſciplinam factum, ut ſimpliciſſima gratiæ divinæ ſigna, in ludicram quandam hiſtrioniam, commutata fuerint.

§. VII.

Sed conſideremus jam ipſam Socratis doctrinam & rectè vivendi præcepta. Calumniam fuiſſe atrociſſimam Ariſtophanis, adſerentis, Socratem, omne diſcrimen inter juſtum & injuſtum, ſubvertiſſe & omne

Numen sustulisse, notum est paucis. Præcipua ejus dogmata recensebo, & loca tantum citabo, cum hæc omnia prolixius præstiturus sim, in Apologiâ Socratis contra Aristophanem susceptâ. Numinis existentiam agnoscit, & probat, argumentis, ab universi ordine, & finibus rerum Creatarum, apud Xenoph. Mem. L. IV. p. 503. Eundem Summum mundi Rectorem inconspicuum nec minus tamen colendum ibid. 505. *Incorporeum*, præter Plutarchum de placitis, Lactantius de ira Dei cap. 12. sect. 13. *bonum* Xenoph. Lib. I. p. 450. & Lib. IV. p. 505. *omniscium* idem p. 454. *Sapientissimum* Plato in Apologia p. 471. *Omnia curare posse* idem *Xenoph.* p. 454. *omnibus rebus prospicere* Lib. I. p. 452. leges *quasdam dari divinas, ab omnibus observandas* ibid. p. 508. *preces ad Deum fundendas*, & *in genere tantum translatâ in Deum quid nobis quam maxime prosit, curâ*, p. 450. *Deum Colendum, & adorandum* p. 453. *adspectabilem hanc rerum universitatem produxisse*, Lib. IV. *p.* 505. *nobilitatem mentis & corporis pulchritudinem Dei beneficentiæ* deberi, p. 433. præterea Socrates, quosvis homines ad virtutis amorem, constantiam, prudentiam temperantiam, modestiam, cæterasque virtutes

tutes colendas, adhortatus est, quæ omnia cum notissima sint, hîc adferre nolo. Concedimus igitur lubentes, *Virum Summum,* præcipua capita religionis naturalis agnovisse, & hâc in parte, multos alios Philosophos superasse. Quod si tamen, Religionis Christianæ Decreta sine studio partium contemplamur, aut fallor vehementer, aut multis modis Socratis Philosophiâ præstitit; Primo enim ea ipsa, quæ ratione solâ de Deo cognosci possunt, Revelatio clarius, & evidentius, ad omnium persuasionem aperit. Exhibet enim *magnificas* de Deo notiones; Deum nobis sistit *æternum, Independentem, Omnium Rerum Conditorem, solo nutu cunctà producentem, Sapientissimum, Omniscium, Æquissimum, Misericordem, Omnibus, maximis, minimis prospicientem, cuncta Conservantem, Gubernantem, pios imprimis foventem, omnia ad hominis salutem præstantem, leges æquissimas humano generi præscribentem,* &c. nihil tam præclare cogitari, nedum de Deo dici potest, quod Religio Christiana non identidem inculcet. Nolo hæc ipsissimis verbis Scripturæ probare, cum omnibus, qui divinam illius Originem agnoscunt, notissima sint. Conferantur Libri V. & N. T.

cum

cum Platonis & Xenophontis Scriptis, & examine instituto patebit; quæ doctrina excellentiores præbeat de Deo, & rebus divinis cogitationes. Quod si tamen Philosophia Socratis non minus recta, quæ de Deo cognosci ex ratione possunt, nos edoceret, quam Religio Christiana; *destituta tamen est præstantissimis illis ad Pietatem Incentivis, quæ Religio Christiana suppeditat.* Ad virtutem amandam, adduci debent efficacissima argumenta, quibus homines, ad illius studium pertrahuntur. *Præmia si tollas, periere virtutis amores.* Necessarium hoc est, propter voluntatis depravationem, quæ tanta est, ut, nisi præsidiis quibusdam muniatur ad virtutem sectandam, facillime in præceps abripiatur. Aut nulli enim, aut paucissimi mortalium, virtute solâ ejusque præstantiâ, moventur. Imo si verum dicere velimus, nisi certa quædam, aut maxime probabilis adsit spes præmii virtutis, difficulter concipi potest, quâ ratione virtutis contemplatio, tantam vim in animos hominum habeat, ut vehementissimis adfectionibus suppressis, virtuti adhæreant. Convenienter rationi vivendum est, virtuti opera danda. Ita est: Sed cur? quia rationi conveniens est. Si denuo quæram, responsio

eadem

eadem repetetur. Perquam insuper difficile est ostendere, præcepta rationis vim aliquam *juris* habere *divini*; qui hâc de re dubitat, legat Consultissimi, & Eruditissimi, Hombergii ICti Marpurgensis, *Dubia*, circa *Jus Naturæ.* Accedit tandem, quod nemo non videt, Virtutis amantes non semper esse omnium felicissimos. Eleganter acutissimus Lokius loquitur, in tractatu, cui titulus *que la Relig. Chret. est tres raisonnable* p. m. 326. *a la verité* inquit *les Philosophes relevoient la beauté de la Vertu. Ils ornoient si bien cette divine Fille du Ciel, qu'elle attiroit les yeux des hommes, & gagnoit leur approbation; mais comme ils ne lui assignoient aucune dot, il y en avoit peu qui voulussent l'epouser.* Eruditus Auctor, qui tractatum illum in linguam gallicam transtulit, hîc a Lokio dissentit. *Je ne sai, inquit, si M. Loke a calculé exactement: mais il me semble, que des sectes tres fameuses & qui ont subsisté long temps dans le monde comme l'Ecole de Socrate, les Stoiciens, & les Cyniques, ont fait profession d'estimer la vertu pour elle-même & de preferer l'Honnete a l'utile.* Provocat etiam ad Horatium, qui Od. L. III. Od. 29. ita ait.

Fortu-

Fortuna sævo læta negotio, &
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.
Laudo manentem: si celeres quatit
Pennas, resigno, quæ dedit, & meâ
Virtute me involvo, probamque
Pauperiem sine dote quæro.

Non nego Philosophos & Poetas aliquando de se ita locutos. Sed aliud est dicere, aliud facere. Qui ingenium Horatii novit, difficulter sibi persuadebit, virtutem solam tantam vim in ejus animum habuisse, ut difficillima quæque propter virtutem solam perpeti voluerit. Cicero etiam non semel cum Stoicis adseruit, *virtutem ad bene beateque vivendum se ipsâ contentam esse.* Sed audi eundem Orat. pro Rabirio: *Nemo, inquit, nostrum in Republicâ periculis cum laude ac virtute versatur, quin spe posteritatis fructuque ducatur.* & Tusc. Lib. I. *Licuit esse otioso Themistocli, licuit Epaminondæ, sed nescio quomodo inhæret in mentibus quasi seculorum quoddam augurium futurorum: quo quid emdemto, quis tam amens esset, qui semper in laboribus & periculis viveret?* Ita vides aliter loqui Eloquentissimum Consulem, cum sibi in porticu, aliter cum in Curia esse vide-

videtur. Legatur hac de re secunda Sectio dissert. VII. Opusc. Theolog. Excellentissimi nostri Werenfelsii. Quod si vel maxime concederemus, Virum egregiis animi dotibus instructum, virtutem propter se ipsam, non commoda, non gloriam, non voluptatem, sectari; fatendum tamen est, ejusmodi virtutem fore *excellentiorem*, *constantiorem*, si haud incerta spe, futuræ immortalitatis, corroborata esset. Fatetur hoc ipsum Vir doctus, qui a Lokio dissentit p. 320. in adjecta notâ, quod nobis hactenus sufficit. Pone igitur, Socratem *solâ virtutis præstantiâ* commotum, convenienter rationi vixisse, patet tamen, paucissimos passibus æquis, in hoc virtutis stadio sequi potuisse *Virum eminentissimarum Virtutum*. Quantum enim, bone Deus! temporis requiritur ad persuadendos homines, qui nec ingenio valent, nec tempus ejusmodi res examinandi *habent*, nedum animum, a vehementioribus adfectionibus vacuum, virtute nihil excellentius, nihil amore nostro dignius esse. Alia autem argumenta, Socrates ad persuadendos Atheniensium animos adferre non potuit, *dum ipsemet de iis* præmiis, & pœnis post mortem, dubitanter locutus est. Quod clarissimis jam testimoniis,

moniis probabimus. Non fidem habebo Luciano, qui in Dialogo Menippi & cerberi Tom. I. p. 307. ed. Grævii perhibet, Socratem ſummo cum timore mortem adiiſſe; ſed diſcipulorum, & fautorum verba adducam. In fine Apologiæ Plat. Socrates ita loquitur: ἀλλα γαρ ἠδη ὡρα ἀπιεναι. ἐμοι μεν ἀποθανουμενῳ, ὑμιν δε βιωσομενοις. ὁποτεροι δε ἡμων ἐρχονται ἐπι ἀμεινον πραγμα, ἀδηλον παντι, ἠ τῳ θεῳ. *Sed jam hora eſt hinc abire, me quidem ut moriar, vos autem ut vitam agatis. Utri vero noſtrum in melius eant, omnibus, præterquam Deo, eſt incertum.* Paulo ſupra in eadem Apologia ait: δυοιν γαρ, θατερον ἐςι το τεθναναι, ἠ γαρ οἱον μηδεν ἐιναι, μηδ᾽ αἰσθησιν μηδε μιαν μηδενος ἐχειν τον τεθνεωτα, ἠ κατα τα λεγομενα μεταβολη τις τυγχανει ουσα, και μετοικησις, της ψυχης του τοπου του ἐνθενδε εἰς ἀλλον τοπον, και ἐιτε δη μηδεμια αἰσθησις ἐςιν, ἀλλ᾽ οἱον ὑπνος, ἐπειδαν τις καθευδων μηδ᾽ ὀναρ μηδεν ὁρᾳ, θαυμασιον κερδος ἀν ἐιη ὁ Θανατος & paucis interjectis. ἐι δ᾽ αὐ οἱον ἀποδημησαι ἐςιν ὁ Θανατος ἐνθενδε, εἰς ἀλλον τοπον, και ἀληθη ἐςι τα λεγομενα, ὡς ἀρα ἐκει ἐισι παντες οἱ τεθνεωτες, τι μειζον ἀγαθον τουτου ἐιη ὠ Ἀνδρες Δικαςαι. i. e. *duorum enim alterum mors eſt. Nam aut tanquam nihil omnino ſit, ſenſum nullum ul-*

lius

lius rei retinet is, qui decessit e vitâ: aut quemadmodum dicitur permutatio quædam, aut transmigratio animæ ab hoc in alium locum. Sive ergo nullus remanet sensus, sed tanquam somnus quidam est, in quo quis somnium cernit nullum, admirabile lucrum erit in morte. Sin autem mors est tanquam transmigratio quædam hinc in alium locum, ac vera sunt quæ dicuntur, videlicet in alio seorsum a nobis loco omnes defunctos esse, quidnam melius quam hoc esse potest o Judices! In Phædone pag. 46. postquam multum de statu post mortem locutus esset, ita pergit. Το μεν ουν ταυτα διισχυρισασθαι ουτως ἐχειν ὡς ἐγω διεληλυθα, ου πρεπει νουν ἐχοντι ἀνδρι. ὅτι μεντοι, ἢ ταυτ᾽ ἐστιν, ἢ ταυτ᾽ ἄττα περι τας ψυχας ἡμων και τας οἰκησεις, ἐπειπερ ἀθανατον γε ἡ ψυχη φαινεται ουσα, τουτο και πρεπειν ἐμοι δοκει και ἀξιον κινδυνευσαι οἰομενῳ οὕτως ἐχειν! *Hæc igitur eo modo se habere, ut ego narravi, non decet Virum judicio præditum affirmare. Attamen vel hæc vel talia quædam esse circa animos nostros eorumque habitationes, quandoquidem animum immortalem esse liquet: hoc asserere & decere mihi videtur & dignum esse sic rem habere putantem periclitari.* In eodem Phædone ait. Νυν δε εὖ ἐστε ὅτι παρ᾽ ἀνδρας τε ἐλπιζω ἀφιξεσαι ἀγαθους, και τουτο μεν ουκ ἂν πανυ διισχυρισαιμεν.

Plutarchus, qui Socratem maximi fecit, in Consol. ad Apollon. similiter inducit eum loquentem: nimirum mortem, non esse timendam, quod aut similis somno, aut peregrinationi futura sit, aut tandem morte obitâ cuncta destructum iri. Quodnam autem Veri nominis solatium, Vir probus & virtutis amans, in ejusmodi persuasione invenire poterit? scilicet post acerrimum veritatis studium, culturam rationis, virtutis studium, post tot pravas animi concupiscentias edomitas, post tolerata tot mala, ad plures abeundum est, & exacto vitæ tempore, hoc unicum tandem solatium, quod ad rationis normam vitam suam composuerit. Rectissime Eruditissimus Clark. *demonst. de l'existence de Dieu* tom. 2. p. m. 179. *Supposé qu'un homme souffre la mort, pour l'amour de la vertu, s'il n'a d'autre bonheur a attendre, que celui que lui procure le contentement interieur, qui naît du sentiment, qu'il a fait courageusement son devoir, & qu'il s'est inviolablement attaché aux regles de la justice; & s'il n'y a point d'heureux avenir, ou il recueille le fruit de sa perseverance dans le bien, peut on dire, qu'il soit plus heureux en effet, que celui qui meut martyr d'une fausse opinion, qu'il a entrepris*

trepris de soutenir par caprice & par entetement? Il faudra dire au contraire, supposé que la vertu n'ait aucune recompense a attendre dans l'avenir, que Dieu lui a donné des charmes si grands, & qu'elle se captive si necessairement l'esprit & le cœur de l'home, que l'hom̃e ne peut s'empecher de se declarer pour elle, & qu'avec tout cela, il l'a laissée destituée de motifs suffisans, pour porter les hommes a soutenir rigoureusement son parti. Erunt forsan, qui dicent, immortalitatem mentis humanæ, & certam persuasionem de præmiis & pœnis post hanc vitam, ope rationis solius, minime innotescere; quod si hoc vel maxime concedam, sequetur inde, Summam esse Religionis Christianæ præstantiam, quæ firmissime hanc veritatem stabilivit. Non solum enim Christus exemplo suo, futuræ vitæ & immortalitatis certissimum adduxit argumentum; sed & promisit omnibus suis cultoribus beatæ immortalitatis possessionem. Apostoli hâc fide armati, aliter plane loquuntur, quam Socrates proximus morti. vide Rom. 8. v. 15. 16. 2.Timoth. 4. v. 8. Confer igitur dubiam spem Socratis, cum immotâ fiduciâ Apostolorum, & quantum præstet Religio Christiana, Philosophiâ Socratis cla-

 rissimè

rissimè patebit. Quod si autem Socrates Vir perspicacissimus & præstantissimus ita dubie de futura vita locutus est, quam spem habuerit plebs, quæ utilitate potius, quam rectæ ratiocinationis legibus, ad quælibet agenda impellitur, facile dijudicari potest. Saltem nullibi legimus Socratem argumentum petiisse a *certitudine vitæ futuræ* ad incitandos homines, ut virtutem sectentur: hinc quam languidum virtutis studium fuerit, omnes, vel me tacente, intelligent.

§. VIII.

Addam hic aliud ad Pietatis Studium *Incentivum*, quod ex *ipsa Religionis Christianæ naturâ* emergit, ejusque *præstantiam* abunde demonstrat. Quum animus hominis difficulter Religionis præceptis pareat, omnia argumenta adferenda sunt, quibus animus ad virtutem amandam inducatur. Socrates præter ea, quæ recta docet ratio, in medium proferre nihil potuit, neque etiam, uti audivimus, probis *certam beatæ immortalitatis spem*, promittere potuit. *Religio Christiana* non solum argumenta petit a *perfectionibus* Dei, *creatione*, & *Conservatione* rerum omnium innumerisque benefi-

beneficiis, quibus genus humanum adficitur, sed imprimis a *Magnifico Opere Redemptionis* Lucæ 1. 74. 1.Cor. 6. 20. & aliis locis quamplurimis. Eum in finem in memoriam nobis revocat, *miserabilem generis humani statum, atrocitatem, & pœnam peccati, incredibilem amorem Dei erga nos, Christi Servatoris nostri Sapientiam, Innocentiam, cruentam mortem pro homine, vim, & incredibile pondus hujus mortis, promissa ejus omne nostrum meritum, omnem ingenii vim Superantia, Bona denique in nos redundatura, egregia, perennatura, & æternam felicitatem adlatura.* Hæc *Incentiva*, non simpliciter proponuntur, sed repetuntur, inculcantur, eâ ratione, quæ aptissima est ad hominum animos commovendos. Latius hæc diducere & demonstrare nolo; more suo, id est solide, hoc probat Eximius Werenfelsius, æternum Helvetiæ nostræ Decus, differt. Theolog. VII. Hoc tantum observandum, hæc *Incentiva* omnium captui esse accommodata, in oculos quasi incurrentia, ad animos hominum etiam perversissimorum emolliendos efficacissima, exemplisque eorum, qui illam Religionem profitebantur, vimque ejus senserunt, roborata, & confirmata. Scio quid dicturi,,

„ hîc sint increduli, respondebunt, hæc „ *Incentiva*, quorum mentionem fecerim, „ petita esse a Mysterio S. S. Trinitatis & „ Redemtionis: hæc autem superare ca- „ prum humanum; e re autem, cujus no- „ tiones plane sint obscuræ, argnmenta ad „ pietatem recte peti non posse. Socratem „ argumentatum esse ab iis, quæ ratio cape- „ re potest; ad impossibile autem nemi- „ nem obligari. Ad hæc sequentia noto: I. est, fateri nos, hæc Mysteria a nobis capi non posse, sufficit quod absurda & contradictoria non sint. Credimus Unum Deum, hoc ratio & Revelatio docet. Credimus porro in Unico hoc & perfectissimo Ente aliquid esse, quod Patrem, aliquid, quod Filium, & tandem aliquid, quod Sp. S. vocamus: modum hujus rei prorsus ignoramus. Credimus porro, Deum singulari quâdam, nec satis nobis hominibus cognitâ ratione, manifestatum in carne, uti cum S. Scriptura loquar. 2. *Incentiva* illa, minime petuntur ex eo, quod circa naturam ineffabilem Dei, & mysteriorum, ignoramus, sed ex eo, quod homines intelligere possunt. *Deus Triunus* quatenus ceu bonus, misericors, Sapiens, Justus, consideratur, est objectum adorationis,

cultûs,

cultûs, non quatenus est Ens aliquod Inenarrabile, & cujus intimam naturam cognoscere non possimus. Priori enim demum ratione Deus est σεβασμιος. Ita S. Scriptura refert, Christum nos sanguine suo redemisse, pro nobis satisfecisse, vitam & immortalitatem adquisivisse, minime autem ex ineffabili conjunctione, quæ intercessit inter Deum, & humanam naturam argumentatur, Deum Patrem velle pios per Christum æternùm felices reddere, Sp. Sanctum animos hominum mutare, in adversitatibus auxilium ferre, &c. Par igitur esse, ut ad Christum confugiamus, gratiam Sp. Sancti imploremus, non autem argumentatur a modo Mysterii SS. Trinitatis. 3tio. Si nulla *Incentiva* ad virtutem sequendam valerent, nisi quæ petuntur a rebus, quarum naturam, & modum exacte perspiceremus, sequeretur nec ipsa *Incentiva*, quæ ratio circa Cultum Dei suppeditat, quicquam valere. Laudandus est Deus, inquit ratio. Cur? quia omnium rerum Creator & Conservator est. Sed num Scimus, qua ratione Deus solo voluntatis Imperio, adspectabilem rerum Universitatem producere potuerit? gratiæ sunt agendæ Deo, quod innumeris

K 4 quoti-

quotidie nos beneficiis cumulet, num perspecta est autem ratio Conservationis, & Operationis in Corpora & mentem? Ipsi illi, qui rationem solam audiendam esse putant, ex sola ratione probari posse putant, nos teneri convenienter rationi vivere, licet argumentatio illa, minime nitatur ἀκριβείᾳ Mathematica, quam tamen frequenter in ore habent. Licet igitur Mysteriorum illorum rationem & naturam, minime recte perspiciamus, sufficit tamen, quod illa *quatenus* capi possunt, in se comprehendant *efficacissima ad pietatem Incentiva.*

§. IX.

Probavimus Præstantiam Religionis Christianæ, collatæ cum Philosophia Socratis ex *Incentivis ad pietatem*, quæ Religio Christiana in medium profert, & quibus Philosophia Socratis destituta est. Patebit autem illa *Præstantia* porro, si ostendemus, Christ. Relig. *certissimam viam ostendere ad Deum propitium reddendum, minime autem Philosophiam Socratis.* Probo autem id inde, *quod Socrates minime ostendere potuerit, velle Deum cum homine peccatore, in gratiam redire.* Potuit quidem Socrates Deum concipere, uti Ens aliquod optimum, misericors, placabile, non iræ,

non

non vindictæ, cupidum, aut morosum. Posse adeoque Deum, si velit, in gratiam redire cum errante. Sed certo eum hoc velle, unde novit? Credidit, vivendum esse convenienter rationi, oportere nos cuncta animi desideria ad nutum Numinis componere, oportere nos modestos, temperantes, placabiles, pacis studiosos esse; resistere pravis animi adfectionibus, & studiis, animo evellere omnia desideria voluntati Numinis, quantum illa cognosci potest, contraria. Quod si in se descendit, fateri debuit, se multoties cogitationibus, & actionibus suis, a vero rectoque descivisse. Vehementiores enim sunt animi adfectiones, quam ut vel evidentissimis ratiocinationibus infringi possint; nescivit igitur, utrum Deus velit omnes illas aberrationes sibi ignoscere. Dices, Socratem potuisse credere, *benignissimum Numen*, errores, quos parum cavit natura humana, remissurum: Sufficere, si quis pro viribus rationis decreta servet. Sed quis *determinare tutò* possit, *ad quem gradum* usque, probabilitas, ut sic dicam, futuræ remissionis extendenda sit? quis *definire*, *quot peccata* Deus condonaturus sit, nec ne? Hoc certe illorum est explicare, qui *artem litigandi cum Deo callent.*

lent. Certam igitur, & immotis argumentis superstructam fiduciam, homo, qui rationem solam audit, habere non poterit, Deum secum in gratiam rediturum. Imprimis autem necesse est, hoc *ei* accedere, qui dubitanter loquitur, de præmio post mortem, quique, si conscientiam in consilium adhibuit, fateri debuit, se *pro Viribus.* Cultum Numinis purum *restituere* minime laborasse. Supponamus autem, Socratem, multis exercitationibus ad virtutis amorem conformatum, *certis argumentis* persuasum fuisse, Deum velle secum in gratiam redire, errores commissos sibi ignoscere, & beatæ Immortalitatis se participem reddere. Hoc certe aliis, qui cum eo nullâ ratione comparari poterant parum profuisset. Totius fere Antiquitatis consensu constat, Socratem extraordinariis animi dotibus instructum fuisse. Quod si igitur Is vel maximè eo perfectionis progressus fuisset, ut futuræ felicitatis spem habere potuisset, alii tamen ex hoc Socratis statu nullum Solatium percipere potuissent, præsertim cum *Ille* adsereret, virtutem proprie loquendo, doceri non posse, sed θειᾳ quadam μοιρᾳ, viris tantum magnis, virtutis semina indi. Regerent quidam, cæteros eandem fiduciam habere

habere potuisse, si eodem studio virtuti operam dedissent. Sed quis in ea temporum caligine sperare potuit, multos eo virtutis progressuros? quis omnes præconceptas opiniones de modo Deum colendi, & genuinæ pietatis studio ex animis illorum hominum evellere, voluntatis depravatæ vim frangere, excellentiam virtutis, cujus levissima quædam & evanida tantum Exempla prostabant, animis eorum instillare potuisset. Sed quid opus est verbis. Ipse Socrates dubiis rebus implicitus, haud obscurè non semel significavit, optandum esse, ut Deus, evidentiore quâdam ratione mortales edoceret, quid *sibi* quam maxime placeret. *In Alcibiade* secundo circa finem postquam docuit, Justitiam, ac Sapientiam penes homines sapientes esse, Sapientes vero ac justos illos esse, qui intelligant, quid apud Deos hominesque faciendum & dicendum sit, ita pergit p. 232. *βουλοιμην δ' ἀν και σου πυθεσθαι, ὁ τι ποτε ἐν νῳ ἐχεις, προσ ταυτα.* Αλ *Ἀλλ' ἐμοι μεν, ὠ Σωκρατες, ουκ ἀλλῃ πῃ δοκει, ἠ εἰπερ σοι τε και τῳ θεῳ. ουδε γαρ ἀν εἰκος εἰη,. ἀντιψηφον ἐμε τῳ θεῳ γιγνεσθαι.* Σω. *ουκ ουν μεμνησαι ἐν πολλῃ ἀποριᾳ φασκων εἰναι, ὁπως μη λαθῃς σεαυτον ἐυχομενος κακα, δοκων δε ἀγαθα.* Αλ. *Ἐγωγε.* Σω. *ὁρας, ουν, ὡς ουκ ἀσφαλες σοι ἐστιν ἐλθειν*

προσ

προσ τον θεον ἐυξομενῳ. ἵνα μη δ' ἂν ουτω τυχῃ, βλασ-
φημουντος σου ἀκουων ουδεν ἀποδεξηται της θυσιας ταυ-
της. τυχον δε και ἕτερον τι προσαπολαυσης. ἐμοι μεν
ουν δοκει κρατιστον εἶναι, ἡσυχιαν ἔχειν. τῃ μεν γαρ
Λακεδαιμονιων ἐυχῃ, δια την μεγαλοψυχιαν, τουτο γαρ
καλλιστον των ἐν ἀφροσυνῃ γε ὀνοματων, ουκ ἂν οἶμαι
σε ἐθελειν χρησθαι. ἀναγκαιον ουν ἐστι περιμενειν,
ἕως ἂν τις μαθῃ, ὡς δει προσ θεους και προσ ἀνθρωπους
διακεισθαι. Αλ. ποτε ουν παρεσαι ὁ χρονος ουτος, ὦ
Σωκρατες, και τις ὁ παιδευσων, ἥδιστα γαρ ἄν μοι
δοκω ἰδειν τουτον τον ἀνθρωπον, τις ἐστιν. Σω. ουτος
ἐστιν ᾧ μελει περι σου. ἀλλα δοκει μοι, ὥσπερ τῳ Διο-
μηδει φησι την Ἀθηναν Ὁμηρος ἀπο των ὀφθαλμων
ἀφελειν την ἀχλην, ἡ νυν παρουσα τυγχανει, το τηνι-
καυτ' ἤδη προσφερειν, δι' ὧν μελλεις γνωσεσθαι ἠμεν
κακον, ἠδε και ἐσθλον. νυν μεν γαρ ουκ ἄν μοι δοκης δυ-
νηθηναι. Αλ. ἀφαιρειτω, εἴτε βουλεται, την ἀχλην, εἴτε ἀλ-
λο τι. ὡς ἐγω παρεσκευασμαι, μηδεν ἂν φευγειν των ὑπ'
ἐκεινου προσταττομενων, ὅς τις ποτ' ἐστιν ἀνθρωπος, εἴγε
μελλοιμι βελτιων γενεσθαι. Σω. ἀλλα μην κακεινος
θαυμαστην ὅσην περι σε προθυμιαν ἔχει. Αλ. εἰς τοτε
τοινυν και την θυσιαν ἀναβαλλεσθαι, κρατιστον εἶναι, μοι
δοκει. Σω. και ὀρθως γε σοι δοκει. ἀσφαλεστερον
γαρ ἐστιν, ἢ παρακινδυνευειν τοσουτον κινδυνον. Αλ.
ἀλλα πως ὦ Σωκρατες; και μην τουτον τον στεφανον,
ἐπειδη μοι δοκεις καλως συμβεβουλευκεναι, σοι περι-
θησω. τοις Θεοις δε και στεφανους και τ' ἀλλα παντα τα
νομιζομενα τοτε δωσομεν, ὅταν ἐκεινην την ἡμεραν ἐλ-
θουσαν

θουσαν ἰδω. ἥξει δ᾽ οὐ διὰ μακροῦ τούτων θελόντων. i. e. ex versione M. Ficini. *Cupio tamen ex Te audire, quid in iis ipse sentias* Al. *mihi verò O Socrates haud secus, quam Tibi ac Deo videtur: neque enim fas esset, a Deo me dissentire.* So. *Recordaris, dixisse te in plurima dubitatione discrimineque versari, ne te ipsum falleres, cum mala quandoque pro bonis optares?* Al. *memini.* So. *an vides non satis tutum tibi esse ad orandum pergere, ne quando te Deus audiens imprecantem tua Sacrificia respuat, aliud vero quiddam fortuitum reportes? Mihi ergo videtur operæ pretium esse quietem agere: nam Oratione Lacedæmoniorum propter magnanimitatem, id enim nomen honestissimum est omnium, quibus Insipientia significatur, non existimo uti te velle. Quare necesse est exspectare, donec discatur, quemadmodum ad Deum atque ad Homines habere se deceat.* Al. *Quando erit, o Socrates, & quis Præceptor? Jocundissimè enim hunc hominem, quisquis erit, agnoscam.* So. *Hic est, cui tu curæ es. Verum mihi videtur, quemadmodum Diomedi Minervam inquit Homerus ab oculis nebulam abstulisse, ut discerneret Deum ab homine, sic & ab animo tuo prius oportere caliginem, quâ nunc offunditur, auferre: deinde illa propius admovere, per quæ seu bonum*

quid sit sive malum dignoscas, nunc enim impos esse videris. Al. *auferat seu nebulam ille velit, sive quodcunque aliud. Etenim paratus sum nihil penitus prætermittere, quod ille præceperit, quisquis denique sit, modo ipse sim melior evasurus.* So. *atque ille mirum in modum tibi providet.* Al. *In illud itaque tempus hoc Sacrificium differre optimum fore censeo.* So. *& recte quidem: tutius enim est, quam tanto periculo se subjicere.* Al. *Sic est O Socrates. Interea tamen quoniam mihi bene consuluisse videtur, hanc tibi coronam imponam. Diis autem & coronas & reliqua omnia quæcunque decet, tunc demum offeremus, cum diem illum adventasse cognovero. Adventabit autem quamprimum Diis volentibus.* Quod si quis contendat minime hac ratione probari, Socratem revelationis necessitatem agnovisse, cum eo *de Verbis* litigare nollem. Cum enim, uti ex hoc loco constat, ut alia taceam, Socrates crediderit, homines felicissimos fore, si Deus, quâ ratione coli vellet, ipsemet homines edoceret, satis patet, visam esse Viro Præstantissimo, Revelationem quandam extraordinariam Opus Deo dignissimum. Cum igitur *Religio Christiana* modum *placandi Deum* apertè tradat, quis non majorem fidu-

ciam

ciam Deum sibi propitium reddendi, habere poterit? præprimis cum non longâ ratiocinatione via ad hoc præstandum quærenda sit. *Jesus enim Christus* Ipse fidem interponit suam, neminem condemnationem subiturum, qui *ad se* tanquam Sacram Anchoram confugerit, se omnibus quotquot errores suos confessuri, & deploraturi essent, veniam daturum, si modo iis in posterum nuntium miserint. Quod si Vir probus prætendat imbecillitatem suam, contestatur, se propter infinitam ὑπεροχὴν meriti, quod præstiterit, piis omnia etiam gravissima peccata, condonaturum, neminique, qui studio pietatis operam dederit, ea imputaturum: Quis autem non videt hac in parte Relig. Christianæ præstantiam? recte Lactantius. Institut. Lib. I. cap. I. *Quia fieri non potuit, ut Homini per se ipsam ratio divina notesceret; non est passus hominem Deus lumen Sapientiæ requirentem diutius oberrare, ac sine ullo laboris effectu vagari per tenebras inextricabiles, aperuit oculos ejus aliquando, & notionem veritatis munus suum fecit: ut & humanam Sapientiam nullam esse monstraret, & erranti ac vago viam consequendæ immortalitatis ostenderet.* Neque certitudinem hujus Reconciliationis homi-

nis

nis cum Deo, tantummodo clare ostendit, sed & omnia in medium profert, quæ ad θεοπρεπειαν tanti beneficii insinuandam, & extollendam, facere possunt. Eum in finem ostendit Revelatio, *miserrimam hominum Conditionem sine Christo, impotentiam virium* mentis humanæ, etiam respectu Virorum aliâs Sapientissimorum: provocat ad *necessitatem* & *utilitatem* ejusmodi reconciliationis, *infinitaque Bona* cum illa conjuncta graphice depingit. Quid autem homini peccatorum suorum atrocitatem deploranti & conscientiæ surda verbera sentienti, gratius esse potest, quam perspicere ad quem tuto confugere possit, rebus in arctis levamen adhibiturum? num Sacrificia, num lotiones, num alia, quæ Athenienses ex legibus cultûs, quem observabant, *talem fiduciam, tantum gaudium* adferre poterant? aliter sane loquitur Socrates ad eos, qui soliciti erant, utrum veniam a Deo, siquidem pro viribus eum coluissent, impetraturi essent. Xenoph. memorab. L. IV. p. m. 505. cum Evthydemus dixisset, se non parum negligere Deos, dolere vero, quod nullus hominum beneficiis Deorum condignas retribuere gratias possit, respondet Socrates. Ἀλλα μη ἀθυμει ἐφη, ὦ Ευθυδημε. ὁρας γαρ ὅτι ἐν Δελφοις

Δελφοις Θεος, ὅταν τις αὐτον ἐπερωτα, πως ἀν τοις θεοις χαριζοιτο, ἀποκρινεται νομῳ πολεως. νομος δε δηπȣ πανταχȣ ἐστιν κατα δυναμιν Ἱεροις, Θεȣς ἀρεσκεσθαι. πως ȣν ἀν τις καλλιον και ἐυσεβεστερον τιμωη Θεȣς, ἢ ὡς αὐτοι κελευȣσιν ȣτω ποιων; ἀλλα χρη της μεν δυναμεως μηδεν ὑφιεσθαι; ὁταν γαρ τις τȣτο ποιη, φανερος δη πȣ ἐστι τοτε ȣ τιμων Θεȣς. χρη ȣν μηδεν ἐλλειποντα κατα δυναμιν τιμαν τȣς Θεȣς, θαῤῥειν τε και ἐλπιζειν τα μεγιστα ἀγαθα. ȣ γαρ παρ ἀλλων γ' ἀν τις μειζω ἐλπιζων σωφρονιη, ἢ παρα των μεγιστα ὠφελειν δυναμενων. ȣδ' ἀν ἀλλως μαλλον, ἢ ει τȣτοις ἀρεσκει, ἀρεσκοι δε πως ἀν μαλλον, ἢ ἰσως μαλιστα πειθοιτο αὐτοις. i. e. *Non est propterea dolendum, ait, O Euthydeme. Vides namque Delphicum Deum interrogantibus, quonam modo quisquam Diis gratum faciat, respondentem, lege Civitatis. Lex vero ubique talis est profecto, ut juxta facultates quisque Deos sacrificiis placet. Quo itaque pacto aut melius, aut magis pie Deos quisque honorare possit, quam eo modo, quo ipsi præcipiunt? Oportet igitur non prætermisso quoquam possibili (quicunque enim hoc facit, is negligit Deos) hoc modo Deos honorare, sperareque maxima bona ab eis. Quis namque compos mentis a quoquam alio majora speraret, quam a Diis, qui maxime nobis prodesse possunt. Hæc vero sperare ab eis oportet illum, qui eis placet: Ille vero*

le vero eis placebit, qui quammaxime illis obediat.

§. X.

Sed nec modum tantum Deum propitium reddendi ostendit *Revelatio*, sed & *Vires sufficientes ad virtutem sectandam promittit & exhibet.* Potuit Socrates excellentiam virtutis demonstrare, homines variis argumentis ad eam amandam hortari, exemplo quin etiam suo, ostendere, quam vim illa habeat in animis hominum. Hæc quidem præclara sunt; sed ultra progredi non potuit Vir Summus. At plerique mortalium non ratione, sed pravis studiis & adfectionibus ducuntur, adeo ut præstantissima præcepta plerumque violentis & præcipitibus animi desideriis cedere debeant. Experiuntur illi hoc sæpissime, qui majori luce perfusi sunt, quam Socrates. Adde jam debilem cognitionem Dei, Poëtarum & Sacrificulorum commentis obfuscatam, præconceptas Atheniensium opiniones, de cultu publico minime mutando, nec in casto Dei amore, sed ritibus externis quærendo, quem Socrates & Plato & præceptis, & Exemplo, confirmarunt. Hinc Viri Docti inter Gentiles miserandam illam mentium huma-

humanarum faciem aliquando confessi sunt, & deplorarunt, licet qua ratione medelam adferre possent, ipsimet ignorarent. Graphice hunc statum depingit Cicero Tusc. quæst. Lib. III. Sect. 2. *Natura parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque depravati sic restinguimus, ut nusquam naturæ lumen adpareat. Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum: quæ, si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem simulac editi in lucem & suscepti sumus in omni continuo pravitate, & in summâ opinionum perversitate versamur; ut pæne cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Cum vero Parentibus redditi, demum Magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipsa cedat. Accedunt etiam Poëtæ: qui cum magnam speciem doctrinæ sapientiæque præ se tulerunt, audiuntur, leguntur, ediscuntur, & inhærescunt penitus in mentibus. Cum vero accedit eodem quasi maximus quidam Magister populus, atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate, a naturaque desciscimus.* Alia loca, quæ ubique prostant omitto. Qualis autem fuit Ciceronis ævo, naturæ

humanæ indoles, talis etiam fuit tempore Socratis. Auxilium ergo divinum, ad sublevandam naturæ impotentiam, & duritiem cordis frangendam, promittere non potuit Vir Optimus. *Revelatione* opus est ad probandum, Deum auxilio quodam cœlitus concesso, probitatis amantes adjuturum. Scio illos, qui sola ratione duce felicitatem se consecuturos sperant, auxilium ejusmodi divinum rejicere, atque adserere, ejusmodi adflatum cœlestem in animos hominum ne quidem concipi posse. Sed oportet ejusmodi homines probare, absolute impossibilem esse talem adflatum, quem gratiam Dei Theologi vocare solent, quod credo nunquam præstabunt. Cur ipsimet concedunt, Deum Universum non solum creasse, sed & adhuc dum conservare, num melius perspiciunt operationem Dei in plantam & animalia, quam in creaturam ratione præditam? num quod modum hujus operationis ignoramus, negandum est, prorsus Deum hoc facere posse? quot manifestissima essent neganda, si hæc ratiocinandi methodus valeret. Sane ipse Socrates hac in parte eos refutare poterit. Apud Xenoph. mem. L. IV. p. 505. probat, Deum omnia, maxima, minima, curare, licet operatio

ipsius

ipsius invisibilis sit; ἀλλὰ μὴν, ita pergit, καὶ ἀνθρώπου γε ψυχὴ, εἴπερ τι καὶ ἄλλο τῶν ἀνθρωπίνων τοῦ θείου μετέχει. ὅτι μὲν βασιλεύει ἐν ἡμῖν, φανερὸν, ὁρᾶται δὲ οὐδ' αὐτή. ἃ χρὴ κατανοοῦντα μὴ καταφρονεῖν τῶν ἀοράτων, ἀλλ' ἐκ τῶν γινομένων τὴν δύναμιν αὐτῶν καταμανθάνοντας, τιμᾶν τὸ δαιμόνιον. i. e. *Atqui hominis etiam anima, si quid aliud humanum natura divina participat. Nam illam in nobis, dominari manifestum est, videtur autem minime. Quæ cum quis consideret, non negligat invisibilia oportet, sed ex illis quæ fiunt, potentia eorum cognita, honore Deos prosequamur.* Lib. I. p. 453. quærit Socrates ex Aristodemo, utrum putet elegantissimum ordinem universi a Causa minime intelligente ortum. Respondet Aristodemus: μὰ δί' οὐ γὰρ ὁρῶ τοὺς κυρίους, ὥσπερ τῶν ἐνθάδε γινομένων τοὺς δημιουργούς. οὐδὲ γὰρ τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν ὁρᾷς, ἣ τοῦ σώματος κυρία ἐστίν. ὥστε κατά γε τοῦτο ἔξεστί σοι λέγειν, ὅτι οὐδὲ γνώμῃ, ἀλλὰ τύχῃ πάντα πράττεις. *Ita puto mehercule. Non enim video, qui ea ordinent, sicut video, qui ista fabricantur, quæ in hoc mundo fiunt. Nec tuum animum tu vides, qui in corpore dominatur, ita ut secundum hoc tibi liceat dicere, non ratione sed casu omnia te facere.* In Theæteto. p. 120. ait Socrates: εἰσὶ δὲ οἱ ἀμύηθοι, οἱ οὐδὲν ἄλλο οἰόμενοι εἶναι, ἢ οὗ ἂν δύνωνται ἀπρὶξ

ταιν χαιροιν λαβεσθαι. Παν το ἀορατον οὐκ ἀποδεχομενοι ὡς ἐν οὐσιας μερει. *Profani sunt, qui nihil aliud esse putant, quam quod pugno tenere possunt — — Quicquid verò invisibile est, in eorum quæ sunt, numero nequaquam habent.* Ita loquitur Socrates Vir artis ratiocinandi peritissimus. Cum igitur Revelatio divinum ejusmodi auxilium ad virtutem sectandam, & felicitatem consequendam, non solum promittat, sed ipso opere exhibeat, nemo non videt, eam multis modis præstare Philosophiâ Socratis, quæ talia promittere nunquam potuit. *Christum* autem *Ipsum* hominibus probis ejusmodi auxilium promittere, imo ipso opere concedere, nemo qui Revelationem legit, cuicunque tandem Sectæ dissentientium inter se Christianorum addictus sit, negare poterit. *Promittit Sanctissimus noster Servator idemque Benignissimus, se veritatis studiosis majorem lucem concessurum, conatus hominum proborum fluxos atque mutabiles confirmaturum, omnem veritatem scitu necessariam edocturum, benigne protecturum, debiles sed simplices atque candidos roboraturum, preces adflictorum exauditurum, spem & fiduciam eorum minime frustraturum, adflictis solatium adhibiturum, imo effecturum, ut tandem Omnia piis cedant in Sa-*

in Salutem. Quæ omnia etiam ipſo opere præſtitit, adeo ut ſumma rerum καλαςϱοφη exorta fuerit, de quo infra. Quod ſi ergo omnia, quæ de doctrina Chriſti diximus, in ſummam colligamus, patebit Religionem Chriſtianam Philoſophiâ Socratis quam maxime præſtare.

§. XI.

Comparemus jam *Socratem ipſum* cum *divino noſtro Salvatore ejusque diſcipulis*, & in hac etiam comparationis parte elucebit, ſingularis *Religionis Chriſtianæ* præſtantia. Fatemur ante omnia, Socratem fuiſſe Virum eminentiſſimarum virtutum. Fatemur, Eum omnium fere Eruditorum conſenſu, totiusque judicio Græciæ (uti verba Ciceronis mea faciam) cum prudentiâ, acumine, venuſtate, & ſubtilitate; tum vero eloquentiâ, varietate, copiâ, quam ſe cunque in partem dediſſet, omnium fuiſſe facile principem. Nihil igitur laudibus ejus detrahemus. Imo non ſine Numine factum eſſe credimus, quod Socrates, corruptiſſimis Athenienſium moribus, miſſis abſtruſioribus contemplationibus, virtutis ante omnia ſtudium commendaverit. Concedamus etiam verum eſſe, quod ipſe de ſe ſcripſit in

Apolog. apud Platonem pag. 12. ὀυδὲν γαρ ἀλλο πραττων ἐγω περιερχομαι, ἡ πειθων ὑμων και νεωτερους και πρεσβυτερους, μητε σωματων ἐπιμελειϑαι, μητε χρηματων προτερον, μητε ἀλλου τινος ὀυτω σφοδρα, ὡς της ψυχης, ὁπως ὡς ἀριϛη ἐϛαι. λεγων ὁτι ὀυκ ἐκ χρηματων ἡ ἀρετη γινεται, ἀλλ᾽ ἐξ ἀρετης χρηματα, και τ᾽ ἀλλα ἀγαθα τοις ἀνθρωποις ἁπαντα, και ἰδια και δημοσια. Interim negare non poſſum, quosdam mihi videri ultra modum in laudes Socratis excucurriſſe. M. Ficinus eum Chriſti præcurſorem (*f*) eſſe dixit, notum eſt illud Eraſmi in Convivio Sobrio dictum : Vix mihi tempero quin dicam : *O Sancte Socrates ora pro nobis.* T. Faber in Vita Ariſtippi, quam e græco Laertii in gallicum idioma transtulit, & notulis quibusdam illuſtravit, poſtquam dixiſſet, Socratem pro inſtitutione pecuniam non accepiſſe, hæc addit. *C'eſt juſtement ce que Jeſus Chriſt diſoit a ſes chers Amis*, δωρεαν ἐλαβετε, δωρεαν δοτε. *Auſſi n'y a t il jamais eu d'homme, je dis homme ſimplement homme, qui ait ſi bien reſſemblé a J. C., que Socrate.* Aliorum immodicas laudes referre nolo. Imprimis autem provocant Viri Docti ad *Oraculum Delphicum*, cujus effato Socrates omnium hominum Sapientiſſimus vocatur,

(*f*) Et typum. vid. Amœn. liter. Tom. I. p. 84. ſqq.

catur; provocant ad *Genium* illius divinitus concessum, perpetuæque vitæ Comitem, ex quo adpareat, eum ultra sortem humanam evectum fuisse; addunt denique, Socratem *pro gloria Unius Dei* mortem obiisse constantissimo animo & serenâ fronte. Hæc autem prius paulo exactius sunt indaganda, antequam comparationem illam rite instituere liceat. Et Primo quidem, quod *Oraculi* effatum attinet, dubium quammaxime, utrum Pythia hæc pronuntiaverit. De fide Oraculorum melius jam edocti sumus, quam ut divino Dei consilio quicquam adscribere possimus. Sacerdotum fraudulentorum Ora hæc Oracula erant, ultra nihil quærendum. Ipse Socrates in Apologia adserit, Chærephontem amicum suum, sed tum temporis jam mortuum a Pythia hoc effatum audivisse. Nec credibile, si Sacerdotum illorum genium perpendamus, ejusmodi testimonium Socrati exhibitum fuisse. Solent enim illi minus favere illis, qui a Religione publice receptâ, vel hilum recedunt, & morum probitate excellunt, unde verisimilis mihi non videtur Nobilissimi Mothei Vayerii sententia, quâ putat, ideo hanc laudem tribuisse Oraculum Socrati, quod doctri-

nam de moribus melius excoluerit, omnesque ad virtutis studium inflammaverit. Crederem potius, Sacerdotes incredibilem animi vim perspicientes eum laudasse, quod viderent, eum Oracula ipsa minime contemnere, nec intercedere, quo minus Athenienses cultui publice recepto inhærerent. Sed conjecturis opus non est, dum de narrationis fide jure dubitari potest. Quod postremum eleganter ostendit politissimæ Eruditionis Vir Ch. A. Heumannus. Act. Philosoph. tom. 3. Quicquid sit, non negamus, Socratem Virum fuisse, *suo tempore* Sapientissimum, quod sine Oraculi responso, omnes, (nec enim futiles rhetoricationes Lactantii curamus,) qui Viri Magni cogitata expenderunt, fatebuntur. Secundo. De Genio ipsius multa in medium proferre animus non est: erudite hanc materiam excussit Theologus Eximius, G. Olearius ὁ νυν ἐν ἁγιοις in erudita dissertatione de genio Socratis conscripta: referam tantum Sententiam illorum, qui putant, Socrati *bonum Dæmonem* cælitus concessum fuisse, ut comparatio nostra eo illustrior sit. Max. Tyr. dissertat. XXVI. initio sic loquitur: Θαυμαζεις ἐι Σωκρατει συνην δαιμονιον, φιλον, μαντικον, ἀει παρεπομενον,

ἀνδρι

ἀνδρι καθαρῳ μεν το σωμα, ἀγαθῳ δε την ψυχην, ἀκριβει δε την διαιταν, δεινῳ δε φρονειν, μεσικῳ δε ἐιπειν, εἰς δε το θειον ἐυσεβει, ὁσιῳ δε τα ἀνθρωπινα. i. e. *Miraris Deum quendam adfuisse Socrati, amicum & futuri præscium, comitem vitæ individuum, mentisque illius hospitem: homini, qui & corpore purissimus, & animo optimus, & vivendi ratione perfectissimus, & in dicendo esset Suavissimus: qui pie cum Deo, sancte cum hominibus versabatur.* Dæmonem autem illum fuisse mediam quandam inter Deos hominesque Substantiam Maximus perhibet. Quam autem utilitatem Socrati attulerit comes ille divinus, ita describit Maximus. *Si vero homo (inquit) qui indole sit generosissima & institutione apte temperatâ, veræque semper addictus sapientiæ, nec fortunæ destitutus subsidio, hoc a Deo Immortali sit consecutus, ut dignus hujus, de quo agimus, Dei consortio haberetur, mirumne videbitur aut fide indignum, & hunc quantum sibi satis esset, divinare potuisse? Non ut Athenienfibus de malis Græciæ deliberantibus Oracula redderet, aut Lacædemoniis de expeditione consulentibus, aut si quis in Olympicis ludis aut in judicio certaturus de Victoria quæreret, aut avarus de divitiis, aliisque ejusmodi parva*

rei

rei negotiis, pro quibus Deos quotidie obtundunt homines. Non quod fortasse hæc ignoraverit Deus Socratis, siquidem futurarum non ignarus esset rerum — Sed hoc præ reliquis e Dei hujus colloquio, quem contemplabatur mente, consecutus erat Socrates, ut primo vitam suam honeste, tanti Comes Numinis institueret: aliis deinde, quoties necessitas ferret, sine invidiâ se se exhiberet. Et paucis interjectis. Το μεν Σωκρατȣς δαιμονιον ἐν και ἁπλȣν, και ἰδιωτικον και δημοτικον, ἠ ποταμον διαβαινοντα ἀνακαλȣμενον, ἠ ἀποθνησκειν προαιρȣμενον ȣ̓ κωλυον, ἠ Ἀλκιβιαδȣ ἐρωτα ἀναβαλλομενον. i. e. *ille de quo loquimur Dæmon Socratis simplex erat, privatus, popularis: qui cum aut fluvium transire cogitat Socrates, revocare eum solet, aut cum Alcibiadem amare instituit, differre suadet, aut cum defensionem parat, non permittit, aut cum mori statuit non repugnat.* Postea Maximus omnibus Virtute præstantibus, ejusmodi genium concessum esse perhibet. *Hi sunt*, inquit, *quibus divina assistit natura, quorum vitam promovet, quos manu suâ protegit & defendit. Alios namque ominibus, alios auguriis, hos insomniis, hos monitis, hos sacrificiis conservat. Fieri enim non*

non potest, ut humana mens, quæ est ejus imbellicitas, præsertim cum secunda hac vita, densissima in caligine, multoque & assiduo præsentium malorum in tumultu versetur, ac strepitu, a quibus perturbari eam necesse est, rationis vi omnia consequatur. Tandem ad finem hujus dissertationis ita ait Maximus. *Magnus eorum est numerus.*

Ter sunt mille etenim per terræ uberrima regna
Gens immortalis, famuli Jovis.

Horum alii morbis medentur, alii in rebus dubiis consilium dant, alii occulta nuntiant, alii in exercendis auxilio sunt artibus; alii iterum sunt Comites. Rursus alii urbani, alii sunt rustici: alii sunt marini, alii sunt terrestres. Alius rursus aliud corpus habitat. Hic Socratem, ille Platonem, ille Pythagoram, Zenonem ille, ille Diogenem: Quot denique hominum sunt ingenia: tot & Dæmonum sunt genera.

Namque Dei similes peregrinis sæpe colonis
Quodlibet induti percurrunt corpore terras.

At vero si animam mihi ostenderis impiam, scias illam neque Incolam, neque Vita suæ habere præsidem. Hactenus Maximus. Non inqui-

inquiram in ea, quæ de variis Angelorum generibus narrat Maximus: conferantur hac de re Joh. Clerici Viri Summi adnotata ad Genes. 18. & Sect. VII. dissert de subversione Sodomæ Magnus item Grotius ad Matth. XVIII. 10. nec in dubium etiam revocabo, quæ de Socratis Genio narrat Maximus. Credideram aliquando Socratem, qui θεια quadam μοιρα Viros ingenio præstantes nasci putavit, ex singulari, quâ pollebat ingenii acie, virtutisque studio, animo quin etiam quælibet tolerandi apto conclusisse, vix sine Numinis curâ Dæmonisque custodiâ, ea omnia sibi contigisse, cæteros etiam facile in eam sententiam adductos, quod viderent se adhibito omni studio longe infra virtutes Magni hujus Viri subsistere. Confirmatus sum in eâ opinione, quod noverim Virum quendam Celebrem & magnæ auctoritatis, circa ultimos vitæ dies firmissime credidisse, omnem successum negotiorum non ingenio, aliorum favori, aut auctoritati suæ, sed Angelo cuidam familiari, adscribendum. Sed mittam hanc Conjecturam & supponam in gratiam eorum, qui Socratem non sine causa magni æstimant, Summo Viro contigisse Dæmonem quendam bonum

num, vitæ Comitem. In quam sententiam etiam concessit, Vir Summus J. Clericus Sylv. philolog. cap. 3. p. 214. sq.

§. XII.

Quod si hæc omnia concedamus, patebit tamen ex collatione Christi, & Apostolorum, Summa Præstantia Religionis Christianæ. Primo enim ipse Maximus concedit, non Socrati tantum, sed omnibus Viris præstantibus, Platoni v. gr. Zenoni aliisque ejusmodi Genium concessum fuisse. At Plato ille, Zeno ille, non obstante perpetuo illo Dæmonis comitatu, in multis misere halucinabantur, mira ingenii portenta edebant, & gloriæ animalia tantum erant, nec generis humani emendationi animum adjecere. 2do. Ipsius Genii Socratis ea erant munia, quæ Socrates ope ingenii præstare potuisset, exceptis paucis, quæ tamen tanti non erant, ut cælitus Genius concederetur. Scilicet non permittit transire fluvium, jubet amorem Alcibiadis differre, &c. Plutarchus de genio Socratis p 831. ita inducit loquentem Theocritum: *Genium vero Socratis, mi homo, an pro fabula habebimus? mihi vero sicut Homerus Ulyssi Minervam in omnibus ærumnis facit præsen-*

præsentem auxilio esse, ita videtur genius Socrati visum quoddam vita quod anteiret, ab initio statim adjunxisse; quod visum præcedens Socratem, lucem rebus obscuris inferret, & humana ratione non penetrabilibus: sicut & sæpe genius illum allocutus est, divino quodam instinctu proposita animi ejus dirigens. Horum pleraque & præcipua e Simia licet, aliisque Socratis sociis cognoscere, me autem præsente, quum ad Eutyphronem vatem irem, jam Socrates, ut meministi Simia, superne apud Symbolum & Andocidis domum ambulabat, simul & interrogans Eutyphronem, subito autem subsistens, reliquisque etiam ut starent persuadens, diu sane commoratus, deinde conversus per vicum arcas fabricantium abiit: & socios, qui præcesserant revocavit, indicans se a genio monitum, ut hac diverteret. Ac plerique quidem una cum ipso converterunt se, inter quos & ipse fui Eutyphroni adhærens. Quidam autem Adolescentuli recta procedentes, nimirum ut Socratis genium redarguerent, Charillum tibicinem sibi adjunxerunt, qui & ipse mecum Athenas ad Cebetem venerat. Cum autem ambularet per vicum Sculptorum juxta curias judiciarias, turba iis suum occurrit cœno oppletarum, quæ ob multitudinem sese trudentes,

cum

cum decedendi spatium hominibus non esset, alios impetu suo prostraverunt, alios commaculaverunt. Venit etiam Charillus domum crura & vestes luto plenus, ut cum risu genii Socratis mentionem facere libuerit, nusquam hominem relinquentis, nusquam negligentis. Hactenus Plutarchus. Num autem hæc res tanti momenti fuerit, ut genius ille hîc intercederet, quilibet facile videt. Quicquid autem de hoc sit, certum est Socratis illum Genium, nihil fecisse, quod ad generis humani emendationem conferre quidquam posset, ut adeo de hoc Dæmone præclare sentire non possim. Cur enim non impulit Socratem ad præconceptas de Diis cultuque recepto opiniones subvertendas, & generi humano Salutaria proponenda? cur Aristophanem insignem nebulonem in ipso comœdiæ actu non morbo aliquo adfecit, uti omnes perspicerent, Socratem propiore Numinis commercio uti? aut quæ tandem utilitas in Genus humanum ex constanti illo Dæmonis comitatu redundavit? num tandem per eum factum, ut pestilentissima Superstitio, quæ tabis instar omnium animos invaserat, aut penitus evanesceret, aut minus grassaretur? num discipuli ejus hoc ipso non solum de di-

vinâ Socratis missione aut persuasi, aut ad Superstitionem subvertendam commoti fuere? 3tio. Si Christum & Apostolos hac in parte conferamus, longe præstantiora audiemus. Christus Servator noster non sine *miraculo* natus est; natus ex voluntate Dei, natus ita, ut longe antea non Oraculo quodam fallaci, sed Revelatione divinâ admirabilis ejus adventus annunciatus fuerit. Deus ipse stupenda miracula ad Illustrem hunc adventum significandum effecit, qualia sunt adparitio, & cursus, inusitatæ stellæ, Magorum eum in finem excitorum adventus, &c. natus ex Virgine modo nobis homuncionibus inexplicabili minime tamen impossibili. Imo aut falsissima est tota narratio de Christo, aut non sine Numine fuit ille adventus. Nulla hîc locum habent dubiæ fidei Oracula, ipsi enim hostes Christi infensissimi Judæi, vim prædictorum labefactare non poterant. Sed nolumus huic argumento insistere. Socrates genium habuit perpetuum Comitem Vitæ & surdum monitorem. Christus erat æterna Sapientia Dei, *ὁ λογος* non fictitius ille Platonis, sed æternus ipsis Angelis præstantior, imo *Deus Ipse.* Sed necesse non est, ut in hac comparatione gra-

vissimam

vissimam illam veritatem supponamus. Sufficit Christum singulari & perfectissimâ Sapientiâ instructum fuisse, quod ne ipsi quidem hostes negare poterant. Non opus habuit genio ejusmodi. Ipse enim intimas easque abstrusissimas hominum cogitationes novit, non erat multarum rerum ignarus, nullis pravis animi adfectionibus ad aliquid agendum impellebatur, omnis labis & criminis expers provocare poterat ad conscientiam omnium Joh. VIII. ut se alicujus peccati, si quidem possent, reum peragerent. Num Socrates si exanimi sententiâ loqui voluisset ad hoc provocare potuisset? num ope Genii sui cogitationum humanarum decreta novit? recte Lactantius Lib. IV. Sect. 23. p. 489. Ed. Walchii. *Philosophi putant: neminem adhuc perfectum extitisse Sapientem, id est, in quo summa doctrina ac scientia Summa Virtus & perfecta justitia consenserint, quod quidem verum fuit. Nemo enim post mundum conditum talis extitit nisi Christus, qui & verbo Sapientiam tradidit & doctrinam præsenti virtute firmavit.* Galenus de curandis animi effectibus: εἰπερ ἀναμαρτητος ὁ σοφος, ἐδ᾽ ἀνθρωπον ὑπαρχειν αὐτον, ἀλλα θεον. *Si Sapiens Omni vitio careat, non esse eum hominem ordinariæ notæ,*

 sed

sed plane extraordinarium, & Deum verius, quam hominem. Talis autem erat Christus Salvator noster. 4to. Quandoquidem autem vel excellentissima præcepta, & Exempla, ab iis, qui veri amantes haud sunt, parvi æstimantur; paucissimi etiam sint, qui vera rerum pretia norint, & ad præstantissimorum Virorum monita attendant, aut stupiditate, aut pravis studiis impediti, *Servator noster miracula* patrabat quam plurima in media turba præsentibus non amicis tantum, sed & hostibus, atque ita homines vel inviti cogebantur fateri, Eum cœlitus missum, ad emendandum genus humanum. Nemo ignorat autem miracula, veri nominis puto, ab hominibus præstari non posse. Non quæram jam, utrum illa a substantiis Deo inferioribus effici possint, quæ multorum doctissimorum Virorum sententia est: sufficit, quod hi Ipsi fateantur, non sine Numinis voluntate ea fieri, eademque, nonnisi ad veritatem & pietatem confirmandam permitti a Deo posse. Quod si igitur vel maxime concederem, Deum permittere, ut ope Angelorum miracula patrentur, patet tamen, Christum longissime superasse Socratem. Platonici Juniores, Jamblichus,

Por-

Porphyrius, Pythagoræ adscribunt multa miracula; Si Philostrato credimus, Apollonius multa etiam præstitit: nunquam tamen vel Plato vel Xenophon, discipuli Socratis & maximi Admiratores ejusmodi, quid de eo memoriæ prodiderunt, minime silentio pressuri, si quid simile Athenis contigisset, cum genii ipsius non uno in loco mentionem fecerint. Si genius autem ille divinitus concessus fuit, minime tamen potuit Athenienses eo adducere, ut *firmiter* de hoc negotio persuasi fuerint; quilibet genium aliquem privatum sibi adscribere potest, quod verum an falsum sit, non solum difficile est aliis perspicere, & cognoscere; verum illi ipsi, qui ejusmodi res jactant si cuncta subtilius rimantur, tantum non ad ἐποχὴν confugere tenentur. Difficile est imprimis plebi, cui insolitis ejusmodi rebus Deus quammaxime consulere vult, accuratum examen instituere. Hinc factum etiam, ut ipsi Veteres inter se de hoc Dæmone disputarent. *Miracula* autem, qualia *Salvator noster* præstitit multa, ita sunt comparata, ut in admirationem summam, & veritatis confessionem, rapiant non minus doctos quam plebem. Hinc ille cœcus qui visum recepit, Joh. VII.

 usus

usus hoc argumento contra Pharisæos, qui scrupulum movebant, qui tamen ipsi, cum Dæmoni cuidam maligno adscriberent hæc miracula, non solum impudentem prodiderunt audaciam, sed & hac ipsa detestandâ calumnia confessi sunt, miracula Christi ope humanâ majora esse nec arte ficta. Scio Spinozam adserere, miracula fieri non posse, quod illa contra leges naturæ, id est, ex mente Spinozæ, contra Deum ipsum seu mundum essent necessitate naturæ existentem. Sed Tenebrio ille demonstrare non potuit, leges quas Philosophi vocant naturales, absolute esse necessarias, ita ut alius mundi ordo, aliæ leges circa motum Planetarum, &c. esse non possent. Quod si leges illæ arbitrariæ sunt, licet sapientissimè institutæ, quid impedit, quo minus aliquando contra illas agat, præsertim si ipso opere videamus, Deum habuisse gravissimas causas, cur illas mutaret. Si Socrati divinâ sorte contra consuetum ordinem contigit Genius, vel eum tantum in finem, ut a nocituris quibusdam abstineret, num minus Deo dignum est *insolitis rationibus* uti, ad Idololatriam extirpandam, & castissimum cultum instituendum inter homines tetra cali-

gine

gine obseptos ? Ita sane Deum oportuit agere, non aliter. Vir prudens & Sapiens, si quidem scopum excellentissimum, quem intendit, tritâ viâ consequi haud potest, generoso quodam impetu commotus, insolitum hactenus iter quærit, nec quicquam inexpertum omittit, ut laude dignissimum obtineat propositum. Deus sine dubio Sapientissimus, postquam præceptis, quæ ratio suppeditavit, nil apud gentiles effecit, non solum ipse extraordinariâ quadam ratione voluntatem suam declaravit, sed addidit stupenda miracula, ad excellentissimam doctrinam confirmandam aptissima, quibus qui fidem non habuit, *inter portenta numerandus erat.* Sed quid multis probo, Christum multis modis superasse Socratem, *Ipsi discipuli Christi*, homines nullis disciplinis exculti, argutiarum Philosophicarum ignari, piscatores, operâ manuum vitam tolerantes, multis modis Præstant Socrate, *non quidem ingenii perspicacia & acumine; sed donorum cœlitus donatorum copiâ, miraculis vitaque innocentiâ*, quæ omni doctrinâ præstat. Antequam nomen dedissent Christo, & disciplinæ ejus se totos commisissent fingendos, a cætera hominum turbâ

minime erant distincti; sed quamprimum divinæ ejus disciplinæ se tradebant, toti mutati sunt. Initio quidem in quibusdam errabant, nondum per omnia cœlestis doctrinæ intelligendæ capaces. Non quidem genio quodam se instructos, gloriabantur; sed virtute miracula patrandi erant instructi, quæ vehementius oculos hominum perculerunt, quam nescio cujus genii comitatus aut accuratissima ratiocinandi methodus, quæ a plebe rite perpendi non possunt. Præterea genii loco φερομενι, erant ὑπο πνευματος ἁγιε, cujus licet operationes difficulter intelligamus, negare ideo tamen non licet. Exeruit se se imprimis divinæ hujus Operationis vis, *cum subitaneâ quâdum & insitatâ* ornati essent facultate, linguas, quas nunquam didicerunt stupentibus omnibus intelligendi, & loquendi. Bone Deus! in quam admirationem rapti fuissent Athenienses, si Socrates præter vitæ probitatem miraculis instructus fuisset, ipsoque opere demonstrasset, quem in finem Deus sibi ejusmodi Dæmonem concessisset. Ope autem horum miraculorum discipuli illi maximo cum successu cœlestem illam doctrinam propagabant, & non minus Idololatras, quam cæteros a vero

casto-

caſtoque Dei cultu aberrantes, revocabant. *Divinus ille*, quem acceperunt, *Spiritus*, eos non tantum, quo minus certa loca peterent, inhibuit, ſed adhortatus eſt, ut hûc illûc difficillima inſtituerent Itinera. *Hujus impulſu* commoti nihil non pro Religionis Chriſtianæ propagatione tentabant, patiebantur, & exequebantur, ſpretis etiam violentiſſimis perſecutionibus & exquiſitiſſimis doloribus. Invigilavit tamen etiam Divina Providentia eorum conatibus, ita, ut angelorum etiam præſidio muniti, e præſentiſſimis vitæ periculis liberarentur. Confer igitur, ut de doctrinâ nihil amplius dicam, *genium Socratis ejusque operationes*, cum Apoſtolorum miraculis, donis linguarum, cuſtodiâ Dei, quâ fruebantur, & aut fallor vehementer, aut clariſſime conſtabit, Socratem Virum aliâs magnum, longè inferiorem eſſe Apoſtolis.

§. XIII.

Sed alia adhuc ſunt, quæ hoc ipſum probant. *Primo enim Socrates non potuit loqui tanquam Legislator, cujus præcepta vim obligandi haberent.* Ratiocinabatur ille de virtutum præſtantiâ, easque Athenienſibus commendavit, earum etiam utilitatem, ho-

nestatemque probavit. Sed teneri Athenienses his præceptis ostendere non potuit. Obstabant aliorum Philosophorum decreta, quibus Athenienses multum tribuebant, illorum ratiocinationes majus pondus non habebant, quam Socratis. Nullus eorum potuit *auctoritate* suâ hominibus persuadere, se cœlitus ad emendandos homines missum, legesque, quas commendabat, considerandas, tanquam divinas. Verum est, pleraque Socratis præcepta fuisse æquissima, & rationi convenientia, & hactenus omnes, qui vim eorum perspiciebant, obligabantur, ut mores suos ad ea componerent; Sed cum *Auctoritas*, illa præcepta non tantum injungendi, sed & illa tanquam Numinis voluntatem cœlitus concessam præcipiendi, Socrati defuerit, neque Auctoritate suâ & præmia promittere & pœnas inferre potuerit, multum roboris decessit excellentiæ horum præceptorum. Accedit etiam hûc sententia Socratis de virtute. Adserebat ille, uti notum est, virtutem doceri non posse, sed θείᾳ quadam μοίρᾳ hominum animis virtutis semina insita. Quæ tamen paucissimis tantum à Diis concedantur. Protagoras vero Celebris Sophista, qui Socratis tempore Athenis vixit, contrarium

docuit,

docuit, quod ex Platonis dialogo, qui Protagoræ nomen præ se fert, patet; in eo aperte ait: Athenienses putasse, virtutem non naturâ insitam, aut sponte, sed doceri potuisse, & curâ iis partam esse, quibus aderat. *ὁτι ἀρετην ȣ̓ φυσει ἡγȣνἷαι εἶναι, ȣ̓δε ἀπο τȣ αὐτοματȣ, ἀλλα διδακτον τε και ἐξ ἐπιμελειας παραγιγνεσθαι, ᾧ ἀν παραγιγνηται.* Non quæram, utrum hæc sententia cum cæterorum Philosophorum opinionibus conveniat, nec ne, de eo agit Cl. Clericus Sylv. philolog. p. 166. Sufficit, quod idem Vir Summus fateatur, multis, qui Protagoræ cogitata legerint, visum iri, Protagoram melius ratiocinari, quam Socratem. Patet saltem ex hoc, aut Socratem a communi & receptâ sententiâ discessisse, aut saltem ita locutum, uti cæteri existimarent, eum longe aliter sentire quam Athenienses. Et hâc ratione Socrates vel invitus effecit, ut illi, qui jam vitiis immersi erant, aliquod præsidium inde caperent; nihil enim libentius ejusmodi homines audiunt, quam ea, quæ summam difficultatem in virtute colenda probare possunt; ita enim necessariò inferri posse putant, in suâ potestate situm haud esse virtutem sequi; saltem hoc certum est, plebem Atheniensem litem illam inter Socratem & Protago-

tagoram dirimere non potuisse. Et erat tamen res non nullius momenti: Speciem Viri probi & virtutis amantis hâc adsertione præbere potuit Protagoras, Socrates autem Sophistæ, ad convellenda quælibet parati. Præterea depravatissimi erant mores Atheniensium, & nihil magis necessarium erat, quam ut opiniones, quæ virtutis studio adversabantur animis eorum eximerentur, e contra summum quoddam desiderium virtutem sectandi injiceretur. Hoc autem inter alia etiam obtinetur, si ostendatur, præcepta rationis rite perpensa *observatu facilia esse.* At sententia Socratis, saltem specie, virtutis studium sufflaminabat. Non quidem negavit Socrates, quod ex Xenoph. patet, educationem & institutionem, aliquid ad virtutis studium conferre; Sed qui semel vitia amavit, potius ea credit, quæ cum desideriis animi conspirant, quam quæ dicuntur. Si autem Socrates generis humani emendationem, quantum in se erat, promovere studuisset, omnia vitare debuisset, quæ aliquod erroribus & vitiis præsidium dare poterant. 2°. *Socrates, si verum fateri volumus, mortem perpessus non est ob confessionem unius Mundi Rectoris.* Plerique ideo magni faciunt Socratem & in cœlum tollunt

tollunt laudibus, quod conſtantiſſimo animo mortem obierit, & quidem ob amorem Numinis. Sed qui attente legerit accuſationis capita, & defenſionem ipſam Socratis, obſervabit, hanc minime fuiſſe mortis cauſam. In ſuperioribus jam obſervavimus, Socratem cultum publice receptum, non tantum non rejeciſſe, ſed ſequendum etiam, adſtruxiſſe. Ex Apologiâ, quæ apud Platonem legitur, patet, ei duplex fuiſſe Accuſatorum genus: *priores* accuſabant, quod curioſius rimaretur, quæ in cœlo & ſub terra ſunt, & quod ratiocinando efficeret, ut deterior cauſa melior videretur. Inter hos referendus videtur Ariſtophanes, cujus accuſationis capita præcipue eo redeunt: *poſteriores* dicebant, eum Juventutem corrumpere, & Deos novos inducere. Priores non moramur, ſed quid ad poſtremum reſponderit Socrates, diſpiciemus. Plato in Apologiâ defenſionem ejus adducit, quæ tamen ita æquivoca eſt, ut ſatis pateat, noluiſſe ipſum ingenuè, quid ſentiret, aperire, omnia hûc redeunt, illum Deos negare non poſſe, qui Dæmones coleret. Cur autem apertè magnus ille Philoſophus, qui ſalutem civium tantopere ſibi curæ eſſe dixit, non Scapham Scapham adpellavit?

pellavit? cur confessus non est, se Unum tantum & Summum mundi Dominum agnoscere, & paratum esse pro hâc sententiâ extrema quæque pati? asserit quidem p. m. 12. Apologia, se ad finem usque vitæ homines ad virtutis studium cohortaturum. Και ἑως περ ἀν, ἐμπνεω και ὁιος τε ὠ, ȣ μη παυσωμαι φιλοσοφων. Και ὑμιν παρακελευομενος τε και ἐνδεικνυμενος, ὁτῳ ἀν ἀει ἐντυγχανω ὑμων, λεγων ὁιαπερ ειωθα: ὁτι ὠ ἀριςε ἀνδρων Αθηναιος ὠν, πολεως της μεγιςης και ἐυδοκιμωτατης εἰς σοφιαν και ἰςχυν, χρηματων μεν ȣκ αἰχυνη ἐπιμελομενος, ὁπως σοι ἐςαι ὡς πλειςα, και δοξης και τιμης. Φρονησεως δε και ἀληθειας, και της ψυχης, ὁπως ὡς βελτιςη ἐςαι, ȣκ ἐπιμελῃ, ȣδε φροντιζεις &c. i. e. *quamdiu spirabo, viresque suppetent, philosophari non desinam exhortans & docens quemcunque nactus fuero, sicut soleo, hunc in modum. Quid tu, O Vir optime, cum Civis sis Atheniensis, civitatis amplissimæ ac sapientiâ ac potentiâ præstantissimæ, non erubescis in eo omnem operam ponere, quo tibi pecuniarum & gloriæ & honoris quamplurimum sit: ut autem prudentia & veritas & optimus animi habitus in te sit, neque cogitas, neque curas* &c. Sed si tantum studium virtutem propagandi, in eo fuit, cur ipsemet de cultu Unius Numinis, sine quo nulla veri nominis virtus esse potest.

altum hîc coram Judice silet. Scio multos errores dari, de quibus acerrime inter se Eruditi disputant, qui nullum tamen saluti detrimentum adferre solent. Sed absurdæ de Deo opiniones, penitus animis sunt evellendæ, antequam castum Dei cultum iis implantare licet. At Xenophon initio memorabilium & ipse in Apologia Platonis testatur, Socratem Deos minime sprevisse. Joh. quidem Clericus conatur eum hac in parte aliquatenus defendere, dicens pag. 205. Sylv. philolog. *Ego vero existimarim, Socratem & Platonem aliosque Philosophos sub nominibus Deorum Græcorum, licet turpibus fabulis dehonestatorum, coluisse naturas sanctas & æternas, prout eas intelligebant, easque humanâ multo præstantiores, quibus nomen Dei vere convenire putabant. Ergo nomine Jovis in eorum sermonibus, intelligendum Summum illud Numen, de quo in Timæo pag. 530. ubi se dicit Creatorem esse aliorum Deorum: nominibus vero reliquorum Deorum, eos, qui ab eo orti sunt, hoc est, inferiores omnes Deos. Numina vulgi nihil erant, præter mera Numina Commenticiorum Deorum, qui nec erant Dii, hoc est, humanâ naturâ meliores, nec fuerant; ideoque se iisdem nominibus abuti posse putabant Philosophi, ad signi-*

significandas inconspicuas & sempiternas mentes, quæ omnia, ut credebant, providentiâ suâ complectebantur, sapienterque administrabant, & benevolæ humano generi erant. Hactenus Vir Summus, Clericus. Sed quis non videt, hanc excusationem esse levem, & publicum Deorum Cultum ita stabilitum esse? nec video, quâ fide Socrates vocabulis illis abuti potuerit, si credidit, Deo soli cultum competere. Si autem Deorum nomine inferiora ejusmodi Numina intellexit, cur aperte confessus non est? cur cultum simul publicum quâvis ratione retinendum clamavit? num dici potest, eum *Zelo quodam pro Dei gloriâ flagrasse*, qui æquivocationibus ludit? præsertim autem mirum hoc est, quod cum in Apologiâ, non tanquam reus, aut supplex, sed Judicum Magister, ac Dominus locutus fuerit, atque ita hâc ratione Judicum animos contra se concitaverit, altum tamen voluerit silere, de iis, quæ, ne exquisita quidem tormenta, quo minus in medium proferret Vir veritatis & virtutis amans, prohibere possent. Quid dicam de Gallo, quem proximus morti offerri jussit Æsculapio? Sunt qui putant, eum hac ratione recepto cultui voluisse insultare. Dacierius p. 328. versionis suæ ita ait: *Icy le coq*

coq est le Symbole de la vie. Esculape est l'embleme du Medecin. Socrate veut dire par la, qu'il remet son ame entre les mains du veritable Medecin, qui vient le purifier & le guerir. Idem fere sentit Mothæus Vayerius. Doctissimus Havercamp. in eruditis Observat. ad Tertulliani Apologet. p. 380. affert imaginem gemmæ insculptam, quæ referre videtur Socratem super aram immolantem gallinaceum. Sententia autem Havercampii de hoc Sacrificio Socratis hæc est. *Certe,* inquit, *quare illi gallum immolari voluerit Socrates patet, utpote qui jam convaluisset, primum ad meliorem vitam ex caducâ hâc & morbidâ emigraturus, inimicorum existimatione punitus, suo judicio finitus, ut eleganter de Theramene Val. Max. L. 3. cap. 2.* Sed si vel maxime benignam hanc interpretationem admitterem, nondum tamen video, quâ ratione excusari posset Socrates. Erat ille in confinio mortis, præsentes tantum erant amici. Hi sine dubio sciebant, quid de Diis sentiret, quem ergo in finem celabat animi cogitata & obscure loquebatur? num credimus, plebem Atheniensium, si mandatum hoc Socratis amicis datum, percepit, credidisse, id intendisse Socratem, quod Viri illi docti vellent? an non hac ra-

tione crediderit, Socratem in cultu recepto ad finem vitæ permansisse? num decuit Philosophum, qualis Socrates erat, ludere in re seriâ? quam præstitisset, si in carcere omni argumentorum robore amicos cohortatus fuisset, ut cultum uni Deo exhiberent, nec unquam ab hac sententiâ defendendâ se abduci paterentur? vera igitur damnationis causa non erat confessio constans unitatis Dei. Fatetur causam mortis ingenue Cl. Clericus loco citato pag. 217. dicens: *Athenienses offenderat, quod eos, qui se doctissimos putabant, imperitiæ sæpius arguisset, moresque aliorum depravatos reprehendisset, & tum verbis tum factis damnasset. Juventutem colloquiis suis eo adduxerat, ut multa a majoribus minus prudenter instituta in administratione Reipublicæ, multaque perperam eo tempore fieri intelligeret. Fabulas denique Poëticas, quibus priscæ religiones nitebantur, moribus exitiales esse ostenderat.* Ita Clericus. Non jam dicam, quod Socrates meâ opinione pessimè fecerit, quod se defendere noluerit, & hortantibus amicis viamque elabendi monstrantibus, vacivas aures præbere noluerit. Sed hæc singulari dissertat. sunt excutienda & contra M. Tyrium vindicanda.

§. XIV.

§. XIV.

Plane autem alia etiam hac in parte Christi & Apostolorum fuit ratio. Christus non solum leges rationi convenientissimas inculcavit, omnesque ad eas sectandas adhortatus est; *sed & tanquam Legislator præcepta & doctrinam suam proposuit. Ego vero dico vobis*, solebat ad Judæos sensum oraculorum divinorum male interpretantes dicere. Imo aperte quibusvis denunciabat, Deum olim, cum adscriptus judicii dies venturus esset, quemvis judicaturum secundum præscriptum, quem promulgaverat sermonem. Se coelitus missum esse, ad salvandos homines perhibebat. Provocabat ad doctrinam oraculis divinis consentaneam. Confirmavit eam miraculis stupendis. Locutus est ut Legislator, qui Jus in homines omnes haberet Summum, ob infinitæ perfectionis ὑπεροχήν, Creationem & susceptum Opus Redemtionis. Spiritibus ipsis imperitavit, seque Dominum eorum esse, ostendit, & ut hoc facilius crederent, non semel probavit, vel ipsas hominum cogitationes sibi perspectas esse. Publice quin etiam professus est, se pro æternâ felicitate hominibus adquirenda, mortem perpessu-

rum ignominiosam, simul autem suis viribus superas evasurum ad auras. Præstitit autem hoc ipsum. Hinc summo jure quosvis ad doctrinam suam amplectendam, adhortari potuit, omnesque, qui divina sua Decreta spernerent, damnationi subjicere, severissimaque judicia in perversos exercere. Quis autem modus Deo dignior excogitari potest ad homines emendandos? quid vehementius mortales ad virtutem stimulare, quam præsentia ejusmodi Legislatoris, qui & salvare & perdere potest? quis Auctoritati ejus non cedet, qui vitæ innocentiâ, doctrinâ admirabili floret, qui & miraculis sua dicta confirmat, & Universitati rerum imperat; qui ad generis humani utilitatem mortem oppetit; & resurrectione suâ fortissimum missionis divinæ argumentum exhibet, tandemque, quantam vim habeat in animos hominum, eorumque actiones miraculis cœlitus fidissimis ejus comitibus concessis, demonstrat, & præsentissima judicia in hostes exercet? Omnium testor conscientiam, utrum in Eo major vis non sit, ad homines a perversis studiis abducendos, & virtutem promovendam, quam in Philosopho acuto & probitate morum conspicuo? Præterea aliis argumen-

gumentis *divinus noſter Servator* demonſtrabat, quantopere ſibi curæ ſit Salus hominum. Non ſolum ad caſtiſſimum Deoque digniſſimum cultum omnes adhortabatur, *ſed & zelo pro gloriâ Dei flagravit.* Quem in Socrate fruſtra quæres. Eum in finem hinc inde ad lucrandos a veritatis via aberrantes profectus eſt. Poſtulavit ab hominibus non tantum mores ad rectæ rationis leges conformatos, ſed & candorem, pietatem exactiſſimam, & totos per artus diffuſam. Divinæ enim quam promulgavit Philoſophiæ genus, ut M. Eraſmi verba mea faciam *in affectibus ſitum verius, quam in Syllogiſmis, quæ vita magis eſſet, quam diſputatio, afflatus potius, quam Eruditio, transformatio denique magis, quam ratio.* Hinc factum, ut Religionis Antiſtites, in meram hiſtrioniam caſtiſſimum Dei cultum mutantes, graviſſime non ſemel perſtrinxerit, & iram divinam iis intentaverit. Etiam non ſemel tangi ſe miſericordiâ tot hominum aberrantium, effuſis lachrymis oſtendit. In eo enim ſummam voluptatem percepit cum, quæ divinitus impoſita erant, exequeretur, & incrementum veri caſtique cultus Dei oculis cerneret. Mortem denique non pro ſe, quippe innocentiſſimo, ſed aliis perpeſ-

ſus eſt, pro hoſtibus oravit, ipſoque opere oſtendit, ſe divinitus miſſum eſſe, cœlo terrâque cohorreſcentibus, & auctoritatem ejus comprobantibus. Idem dicendum de diſcipulis. Non quidem ipſi ſe Legislatores eſſe dicebant, ſed Legatos tantum ſummi rerum omnium Domini. Ejus nomine loquebantur: Eum in finem provocabant non ſolum ad doctrinam cœlitus acceptam, & dona linguarum, ſed imprimis ad *miracula*, divinæ miſſionis certiſſima argumenta. In cultum publice receptum & Judæorum & gentilium invehebantur graviſſime, magnaque auctoritate docebant & Judæos & Gentiles modum Numen præſtantiſſimum colendi ignorare; ponendas igitur hactenus præconceptas opiniones, alios mores induendos, alia Deum propitium reddendi adhibenda media. Hæc frequentiſſimè ingeminarunt, inter promiſcuam turbam, in foro, in Conventibus, in Curiâ denique, hanc divinam ſententiam conſtantiſſimè inter mille tormenta defenderunt & morte confirmarunt. De quo mox plura.

§. XV.

Tandem conſideremus vim, quam habuit doctrina Socratis in animis hominum; & con-

& conferamus simul incredibilem efficaciam doctrinæ Jesu Christi. Præcipui discipulorum Socratis erant, Plato, Aristoteles, Xenophon, Æschines, Cebes, Aristippus, Zeno, &c. Cleombrotus & Aristippus, teste Laertio in hujus vita, apud Laidem nobile scortum versabantur, cum Socrates in vinculis esset. Post mortem ejus in diversas sectas abiverunt, & nobilissimam de moribus doctrinam, inutilibus quæstionibus deturparunt. Quidam perplexis disputationibus inhiabant, & in Syllogismis potius conficiendis, quam moribus emendandis occupati erant, regulas etiam recte vivendi tales excogitabant, quæ a quovis Agyrta præstari possent: alii deceptricis imaginationis ludibria sequentes, quæstiones in medium proferebant, quas ipsi non intellexerunt. Plato ille ingenium habuit ad *fanaticismum* aptissimum, nec puduit eum Præceptorem suum de *amore* ita loquentem inducere, ut castæ aures vix sine offensione transmittere possint; alii voluptatem sectabantur, alii denique ingenium exercebant in enodandis causarum naturalium principiis; singuli autem mentis emendandæ, aut nullam, aut exiguam curam habebant. Tantum abest, ut virtutis studium, ad quod

ſingulos adhortabatur Socrates, excolerent ipſi, omnibusque commendarent, ut potius nobiliſſima hæc Philoſophiæ pars tantum non penitus neglecta ſit. Plato & Ariſtoteles ita obſcurè de ſummo rerum omnium Domino locuti ſunt, ut difficulter eorum ſententiam capere poſſimus. Idem Plato cultum publice receptum mutandum eſſe minime exiſtimavit. In Epinomide exerte hoc profitetur, τουτων παντων, inquit, ὁ νομοθέτης, ὅστις νουν κεκτηται και τον βραχυτατον, ουποτε μη τολμηση καινοτομων, ἐπι θεοσεβειαν, ἥτις μη σαφες ἐχει τι, τρεψαι πολιν ἑαυτου, και μην οὐδ' ὧν ὁ πατριος νομος εἰρηκε περι θυσιων ἀποκωλυσει, μηδεν το παραπαν εἰδως, ὥσπερ οὐδ' ὂν δυνατον εἰδεναι τι θνητη φυσει των τοιουτων περι. i. e. *borum omnium Legislator, qui vel minimum mentis babeat, nunquam aliquid innovabit. Cavebit enim, ne ad novum minus certum religionis cultum civitatem ſuam vertat. Nec, quæ patriâ lege vel conſuctudine de ſacrificando firmata ſunt, movere audebit. Scire namque debet, mortali natura non eſſe poſſibile, certi quicquam de bis cognoſcere.* In Ariſtippo evanida ſunt illarum veritatum, quæ omnium momentoſiſſimæ ſunt, veſtigia. Nemo ex iis aliquo pro gloriâ Dei Zelo flagravit; ſed aut voluptatibus inhiabant,

aut

aut literis ad delectationem vacabant. Cæterum ea, quæ ad emendationem generis humani facere possent, turpiter negligebant. Hinc ipse Socrates discipulis suis & propagationi doctrinæ suæ diffidebat. Audi eum coram Judicibus ita loquentem in Apologia apud Platonem pag. 12. Ἐαν γαρ με ἀποκτεινητε, ἐ ῥαδιως ἀλλον τοιȣτον εὑρησετε. ἀτεχνως, εἰ και γελοιοτερον εἰπειν, προσκειμενον τῃ πολει ὑπο τȣ θεȣ, ὡσπερ ἱππῳ μεγαλῳ μεν και γενναιῳ, ὑπο μεγεθȣς δε νωθεστερῳ, και δεομενῳ ἐγειρεσθαι ὑπο μυωπος τινος. Ὁιον δη μοι δοκει ὁ θεος ἐμε τῃ πολει προστεθεικεναι τοιȣτον τινα, ὁς ὑμας ἐγειρων και πειθων και ὀνειδιζων ἑνα ἑκαςον, ἐδεν παυομαι, την ἡμεραν ὁλην πανταχȣ προσκαθιζων. τοιȣτος ἐν ἀλλος ἐ ῥαδιως ὑμιν γενησεται. i. e. *Si enim me interfeceritis, haud alium talem reperietis, vere quidem, & si forte id dictum ridiculum est, civitati vestræ a Deo adhibitum, velut equo cuidam magno & generoso, sed ipsa mole pigriori, atque a tabano aliquo excitari indigenti: qualem videtur me Deus civitati addidisse, qui singulos exuscitans & monens & objurgans non cesso diem totam vobis assistere. Talem vero alterum non facile nanciscemini o Viri Athenienses.* Verum est, pœnituit mox Athenienses, talem virum interfecisse, verum etiam, quosdam eam ob causam

pœnas dedisse. Plutarchus de *invidia* & *odio* p. 556. ita ait: *Eos, quorum calumniâ Socrates fuit oppressus, ut extremè malos ita oderunt, itaque aversati sunt Cives, ut neque ignem eis accenderent, neque interrogantibus responderent, neque in balneo aquâ uterentur eâdem, sed quâ illi lavissent, eam tanquam pollutam juberent a ministris effundi: donec illi impatientiâ odii se suspenderunt.* Hæc quidem Plutarchus gravissimus auctor. Sed nec ipse, nec alii testantur, Athenienses alios mores induisse, cultum Deo digniorem recepisse. Verbo, doctrina Socratis *majorem vim in animis hominum non habuit, quam alia quadam philosophandi methodus.* Certe, quantum ex historia constat, Athenienses superstitionem minime rejecerunt. Discipuli & Sectatores Socratis, quisque pro ingenii indole, philosophabantur, & inanibus disputationibus tempus miserè perdebant. Nemo, nemo, inquam, ad cultum castum Deo exhibendum cæteros adhortabatur: nemo mortem pro *unius Dei* gloriâ oppetere volebat. Plerique erant adsentatores, animalia gloriæ, molles, disputaces. Quis autem credat, cæteros homines virtuti operam daturos, pravis studiis valedicturos & mentem mutaturos esse *talibus ducibus?*

bus? quis spem meliorum temporum a Sacrificulis, hominibus, ut rerum divinarum ignarissimis, sic pestilentissimæ Superstitioni addictis exspectare poterit? hinc teterrima Superstitio orbem inundavit, & omnia ad interitum vergebant, usque dum divina Bonitas extraordinario quodam auxilio generi humano medelam afferret.

§. XVI.

Præstitit hoc Ipsum Salvator noster. Non solum enim vitam vixit sanctissimam, & Deo dignissimam, non solum potentiam suam in miraculis, & vi, quam exerebat in animis hominum, ostendit; sed & prædixit, fore ut nec portæ inferorum, nec Tyrannorum violentia, nec tormentorum æstus, progressui Sanctissimæ Religionis, prævalerent. Hâc spe meticulosos, & de futuro anxios discipulorum animos erexit, & infinitum præmium constantiæ promisit. Illi, quanquam initio timidi erant, quidam etiam eorum Magistri optimi proditor, alter viribus plus æquo fidens turpiter lapsus, omnes tamen Unico excepto, in unum conveniebant, disciplinam a Magistro traditam forti animo tuentes, neque ulla minarum, aut persecutionum vi, a Sanctissima Religione defen-

defendenda ſe abripi patiebantur. Ille Ipſe Petrus, qui paucis ante diebus turpiter Magiſtrum metu mortis deſeruerat, ad Synedrium Judæorum vocatus, Antiſtitibus illis Sacrorum in faciem dixit. *Hic ipſe Jeſus, quem cruci adfixiſtis, a morte revocatus eſt, & hujus rei nos ſumus teſtes. Omnes* autem dono miraculorum, & linguarum cœlitus donati, quaquâverſum iter faciebant, & generoſo impetu incitati, inter mille labores, & perſecutiones, nullo habito gloriæ, aut utilitatis reſpectu, cunctos ad amplectendam divinam Religionem invitabant. Quæ doctrina etiam tantam vim habuit in hominum animos, ut Senes & Juvenes, Docti & indocti, utriusque Sexus, certatim ad eam profitendam & defendendam ruerent; vitamque Deo, ratione, digniſſimam inſtituerent. Non obſtabant præconceptæ opiniones, veluti cum lacte materno hauſtæ, non chariſſimorum pignorum lachrymæ, non commoda hujus vitæ, non exilium, quo minus Religionem illam tuerentur; imo, quod magis eſt, ne quidem exquiſitiſſima tormenta eos perterrefacere poterant. Hinc ad martyria ſerenâ fronte, animoque imperterrito, properabant, & citius quidem aliquando, quam ipſa neceſſitas poſtularet.

Scio,

Scio, quosdam dicturos, superstitionem multum etiam ad hoc contulisse, provocabunt ad rationes, quas in medium protulit Eruditissimus Dodwellus in dissertat. de Caussis martyrii. Concedam, si ita velint, quosdam aut pertinaciâ, aut nimio martyrii desiderio abreptos, sine sufficientibus rationibus, tam intrepido animo mortem perpessos; at omnes, vel plerosque, solis his rationibus commotos, eo constantiæ processisse, vix credere permittit humanæ naturæ indoles, quæ dolores exquisitos sine causâ sibi concitare non solet. Eadem olim fuit natura humana, quæ nunc est. Quæ dolorem excitare solent fugimus, præsertim si nulla adjuncta est utilitas. Historia Ecclesiastica satis docet, multos persecutionis æstu, aut fugâ sibi consuluisse, aut aliud locutos, quam quod animo presserant. Sine ratione plerique Religioni addicti sunt, iis in locis, in quibus sine persecutionis metu secure vivere possunt; at ut homines exquisitissima tormenta, quæ facile evitare possent, perpetiantur, difficulter credi potest. Recte Lactantius Lib. V. cap. XIII. *Si feminæ sexus infirmitate labuntur, (nam interdum isti muliebrem & anilem superstitionem vocant) Viri certe sapiunt. Si pueri, si adolescentes impro-*

improvidi sunt per ætatem, maturi certe ac senes habent stabile judicium. Si una Civitas desipuerit, cetera utique innumerabiles, stulta esse non possunt. Si una provincia, una natio providentiâ caret, ceteras omnes habere intelligentiam recti necesse est. Quum verò ab ortu Solis usque ad occasum lex divina suscepta sit, & omnis sexus, omnis ætas & gens & regio unis ac paribus animis Deo serviat, eademque ubique sit patientia, idem contemtus mortis; intelligere debuerant, aliquid in ea esse rationis, quod non sine causa usque ad mortem defendatur, aliquid fundamenti ac soliditatis, quod eam religionem non tantum injuriis, & vexatione non solvat, sed augeat semper, & faciat firmiorem. Verum est, multos ex Christianis & magnam eorum partem fuisse homines simplices & ἀπαιδεύτες. Sed illi homines sæpe minore præconceptarum opinionum mole obruti esse solent, quam Eruditi. Hi enim plerumque inani disputationum ςρεβλώσει capti, variisque dubiis circumsepti, mille elabendi rimas quærunt, nec tanto Zelo pro Dei gloriâ ardent. Ipse, Magnus aliâs Vir, Erasmus in Epistolis suis fatetur, ingenium suum ad martyrii gloriam reportandam ineptum esse. Supponit autem illorum hominum objectio, ad sa-

ad salutem consequendam, & veram Religionis indolem perspiciendam, opus esse systematicâ quâdam cognitione omnium illarum propositionum, de quibus Eruditi inter se disputant, quod minime credo. Purgatio animi a pravis adfectionibus, solida quædam persuasio de divinitate Religionis Christianæ, ejusque naturâ & indole, amor virtutum Christianarum, studiumque ardens Deo placendi & convenienter huic Religioni vivendi plus efficit, quam notitia omnium rationum & objectionum de certis Religionis capitibus, quæ inter dissidentium Christianorum familias agitantur. Quæ ipsa etiam primis & antiquissimis temporibus, rariora erant, quam nostro Seculo, quo nulla ferè ætas sufficeret, ad cognoscendas, nedum examinandas controversias, quæ sensim sensimque ortæ sunt. Loquor autem de plebe non de Doctoribus, qui majori rerum cognitione instructi esse debent. Quod si jam addas, primos veritatis hujus cœlestis Doctores, homines fuisse, nullis disciplinis excultos, artis recte ratiocinandi secundum leges philosophorum imperitos, nullâ humanâ auctoritate, aut præsidio munitos, magis patebit, admirandum plane fuisse progressum hujus Religionis.

nis. Si enim homines fuissent, summâ ingenii acie instructi, variis linguis & disciplinis exculti, ad genium Seculi compositi, haberent quod objicerent illi, quibus Sanctissima Religio displicet; dicere possent, ejusmodi homines facile posse decipere simplices. At alios Deus pro infinitâ suâ Sapientiâ elegit. Eleganter Lud. Vives Lib. II. de veritate fidei. *Misit (inquit) Deus paucissimos ad quamplurimos, rudes ad peritissimos. Erat enim mundus ingeniis atque artibus excultus, si unquam alias, ne quis fucum factum, aut dolo captos homines possit suspicari; misit infantes ad disertissimos atque eloquentissimos, misit simplices ad astutos, inermes ad armatos, imbelles ad bellicosos, inopes ad imperium populi Romani. Expediebat tantam esse in primis illis ædificii hujus exstructoribus humilitatem, ne ipsi humanis viribus artibusque aliquid tribuerent, ut in iis spei quicquam aut fiduciæ collocarent; Sed sibi penitus diffisi, ab ope ac præsidio penderent Dei. Tum ne quis stulte ac dementer aliquid ex iis, quæ facta essent, humanæ potentiæ attribueret.* Hactenus Vives. Christo Jesu ergo Salvatori nostro debemus, quod melior orbis pars habeat religionem Deo convenientissimam, Deo dignissimam, cultum castum & ab omni


ab omni ſuperſtitionis labe purgatum. Hæc Religio etiamſi hinc inde a male feriatis hominibus variis ingenii humani ſcoriis obtegatur, emicat tamen ſatis, ſi rite perpendatur, divina illius Origo & admirabilis pulchritudo, adeo ut eâ nihil excellentius, nihil ad perficiendam hominis mentem aptius excogitari poſſit. Miramur & ſtupemus igitur merito, *βαρβαροφωνȣς ἀνθρωπȣς την ἑλληνικην ἐυγλωττιαν νενικηκοτας, και τȣς κεκομψευμενȣς μυθȣς παντελως ἐξεληλαμενȣς, και τȣς ἁλιευτικȣς σολοικισμȣς τȣς αττικȣς καταλελυκοτας ξυλλογισμȣς* ***homines barbari Sermonis græcæ Eloquentiæ facundiam ſuperaſſe, ſciteque ornatas fabulas, penitus profligatas, piſcatorumque ſolœciſmis diſſolutos fuiſſe atticos Syllogiſmos***, verba ſunt Theodoreti p. 552. Ed. Sirmondi. Sine Chriſto & Apoſtolis, religio omnis in meras ineptias, tenebras, & otioſorum hominum deliramenta degeneraſſet, ſine his præſtantiſſimi Philoſophi fruſtra ratiocinando, pertinaciſſimo morbo, qui venas omnes pervaſit, medelam attuliſſent. Sive igitur Bonitati divinæ, ſive doctrinæ ipſius præſtantiæ, adſcribas felicem illum ſucceſſum Religionis Chriſtianæ, ſatis patet, majorem vim eam in

animis hominum habuisse, quam Socratis & Celeberrimorum Philosophorum accuratissimas ratiocinationes. Scio difficultatem haud levem quosdam proposituros. Provocabunt nimirum, ut hanc efficaciam Religionis Christianæ extenuent, ad *Vitam plerorumque, qui Christiani vocantur*, quæ adeo est vitiis contaminata, ut difficulter credamus, Religionem illam radices egisse, in animis eorum. Utinam tam facile rem ipsam negare possemus, quam facile ostendere possumus, causas hujus perversitatis minime impedire, quo minus admiranda sit efficacia in Religione Christianâ ad animos hominum in melius mutandos. Sed cum heîc loci quæstio hæc gravissima examinari haud possit, ablego illos, qui hanc quæstionem movent, *ad Eximii Theologi Werenfelsii diss. quintam*, in qua hanc ipsam objectionem proponit & discutit, & *addo Excellentissimi hujus Viri, Amicum Osterwaldium Theologum itidem, & Pium & Perspicacem, qui in aureo libello, a quibusvis Theologiæ Candidatis sedulo evolvendo, de corruptionis fontibus, inter Christianos grassantis* ad hanc ipsam objectionem prolixe respondet. Hoc unicum addimus, nos ideo Philosophiam Socratis minime deprimere,

mere, quod paucissimi ad ejus normam vitam exegerint: Sed contendimus, quantacunque fuerit ejus præstantia, longissime tamen eam infra Relig. Christianæ dignitatem positam esse, non solum respectu efficaciæ, quæ ex ipsius Religionis indole petitur, sed & propter auxilium Divinum, quod Deus suppeditat illis, qui ex animo Religioni illi convenienter vivere volunt. Interim & nos *dolemus*, in tanta Veritatis luce, tam paucos reperiri, qui ad excellentissimam hanc Religionem vitam componant; *dolemus*, homines quidem de Religione disputare velle, ipsius autem præcepta sanctissima observare nolle; *dolemus*, nos hodierno tempore minime, quod olim tamen factum legimus, provocare posse, *ad emendatissimos Christianorum mores, tanquam ad certissimum Religionis Christianæ Argumentum.* Sed hæc tamen non impediunt, quo minus divina illa Religio vim suam exerat in multorum animis. Sunt enim, Deo sit laus, non pauci, qui divinam illius vim sentiunt, & qui nondum sentiunt, fatentur tamen ipsam Religionem, in se spectatam, omnium præstantissimam esse. Unde concludimus tandem, Religionem Christianam, sive indo-

lem doctrinæ, & præceptorum, sive Auctorem & discipulos, sive denique Successum ejus perpendamus, præstare multum Philosophia Socratis. Et hæc sunt, Venerande HULDRICE, quæ de hoc argumento meditatus sum, non alium certe in finem, quam ut præstantiam Religionis Christianæ, de cujus divinâ origine persuasissimus sum, extollerem, & si fieri posset, homines ad eam amandam, inducerem. Satis enim me vixisse arbitrarer, si tenuis ille labor unum tantum ab erroribus liberatum ad iter cœleste direxerit. Si minus recte præstiti, quod præstandum erat, laudabis saltem Voluntatem. Sed verbum non addam.

Vale.



III. Bre-

III.

Brevis notitia Codicis M S. qui varios ſermones in Concilio Conſtantienſi habitos complectitur.

HUmaniſſime hunc cum aliis pridem pro ſua, qua me complectitur, benevolentia e Bibliotheca Monaſterii Blavifontani mecum communicavit Vir Reverendiſſimus atque Excellentiſſimus, D. PHIL. HENRICUS WEISSENSEE, Abbas tum Blavifontanus, nunc vero Abbas Hirſaugienſis & Celſiſſimo Wirtembergiæ Duci a Conſiliis Eccleſiaſticis, literarum ac literatorum Fautor maximus, quem propitium Numen Wirtenbergico Sioni atque Heliconi diutiſſime ſervet incolumem & omnigena proſperitate beatum. Scriptus eſt Codex Anno MCCCCLXXXII. In ejus fine hæc leguntur haud illepida: *Acta ſunt hæc in Monaſterio S. Johannis Baptiſte in Blauburen Anno MCCCC82. vices Chriſti gerente in eodem loco Reverendo in Chriſto Patre Dominoqne Hainrico Schmid. Eodem anno in eodem loco apparuit rara avis, ca-*

pitulum provinciale dico, in quo multa bona comesta, pauca gesta sunt. Eodem anno pestilencia regnavit per totum dominium Dominorum de Wirttemberg & fere per totam Sueviam. Continentur in eo præter alia Sermones XXVIII. in Concilio Constantiensi habiti, e quibus haud pauca testimonia de miserrima Ecclesiæ ejus ævi facie decerpi possent. Dabimus heic eorum tantummodo indicem, quos in Actis Concilii Constantiensis, ac tertia Historiæ literariæ Reformationis Parte haud vulgavit Celeb. Hermannus von der Hardt, iis fortasse tum non instructus.

Sermo fratris Matthæi de Aula Regia Ordinis Cisterciens. Magistri in artibus ac S. Theol. Profess. habitus Domin. 4. post Trinit. Text. *Estote Misericordes.*

Sermo fratris Joannis Zachariæ S. Theol. Prof. Ord. Heremitarum S. Augustini, unius de Ambasiatoribus almæ Universit. studii Erdfordiens. A. 1415. Text. *Gratia vobis & pax.*

Sermo Joannis Gersonis Cancellarii Parisiens. A. MCCCXV. Text. *Obsecro vos tanquam advenas & peregrinos.* 1. Pet. II.

Sermo Anonymi post clandestinum recessum olim Joannis Papæ XXIII. A. MCCCCXV.

MCCCCXV. incipit: *Reverendissimi in Christo Patres & Domini Præstantissimi, Ecclesiæ Sanctæ Dei Cardines immobiles, inflexibilesque Columnæ. Almi Numinis auxilio primitus invocato.*

Sermo fratris Alexii Ordinis Minor. Episcopi Placentini, Domin. II. Quadragesf. A. MCCCCXVI. Text. *Faciamus hic tria tabernacula.* Matth. XVII.

Sermo Anonymi de Nativitate Mariæ Virginis. Text. *Liber generationis Jesu Christi.* Matth. I.

Sermo Fratris Bernhardi Baptisati Monachi & Abbatis Ord. S. Bened. in S. Theologia Licentiati A. MCCCCXVI. Domin. III. post festum pasch. Text. *Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit*, &c. Jo. XVI.

Sermo Joannis de Rotha Ordinis Minor. Vicegeneralis ac S. Theol. Prof. A. MCCCCXVI. in festo Nativ. Mariæ. inc. *In JEsu Christi nomine te flagitante virgine, quæ Deum peperisti, thema fiendi sermonis texam. Generationis liber JEsu Christi.*

Sermo Magistri Mauricii de Praga S. Theol. Professf. Dominica VII. post festum Pentecost. Text. *Attendite a falsis prophetis.* Matth. VII.

Sermo Magiſtri Jacobi Epiſcopi Placentini in exequiis Domini Cardinalis Barenſis. inc. *Mihi occaſum flebilem, Reverendiſſimi Patres & Domini, dolenter & amariſſime recolenti* &c.

Sermo Generalis Ordinis Prædicatorum Dominica I. Quadrageſ. A. MCCCCXV. inc. *Reverendiſſimi Patres & Domini Præſtantiſſimi, Domini Cardinales, Cardines terræ excellentiſſimi, Præſules, Doctores eximii, Paſtoresque fidelium animarum, ſuper quibus poſuit Deus orbem. Etſi juxta ſacri canonis veritatem omnia ſuis debent convenire temporibus.*

Sermo Anonymi A. MCCCCXV. d. 15. Septembr. Text. *Obſecro vos, ut ſitis in caritate radicati.* Eph. III.

Sermo Epiſcopi Firmani Ordin. Minor. A. MCCCCXVI. in feſto corporis Chriſti. Text. *Caro mea vere eſt cibus.* Jo. VI.

Sermo Anonymi. Text. Dominus dabit vobis ſignum: *Ecce virgo concipiet & pariet filium.* Jeſ. VII.

Sermo Anonymi de contemtu ſacri Concilii. Text. *Filius noſter iſte protervus & contumax eſt, noſtra monita audire contemnit.* Deuter. XXI.

Opere

Operepretium est, ex hoc quædam decerpere. Habitus est in Joannem Archiepiscopum Moguntinum, & quidem ab ipso, uti videtur, Martino V. Pontifice Maximo. Meminit enim Orator prædecessorum suorum, a quibus multa beneficia & ipsum archiepiscopatum Joannes acceperit, subque sermonis finem, sua auctoritate nixus, graves in eum pœnas se decreturum minatur. Ita autem in eum inter cætera invehitur: *Prædecessores nostri & nos & ista sancta mater Ecclesia unum filium genuit Joannem Archiepiscopum Maguntinensem, & non solum genuit, immo fovit, immo indulgentius educavit, imo ipsum ad unam de solennioribus ecclesiarum exaltavit. Sed iste filius protervus & contumax patris & matris contempsit imperium, immo etiam contra patrem & matrem conspiravit, inimico & hosti ecclesiæ adhærendo, sicut magis declarabitur infra. Ergo merito vocandus fuit, ut compareret coram senioribus, id est, coram isto sacro Consistorio, cujus auctoritate est judicandus, ut postmodum subsequatur increpatio dura & monitio talis, que cedat ceteris in exemplum, ut de eo merito proponamus verba textus.* Exprobrat dein nonnullis interjectis illi beneficia, ab ecclesia in eum

 collata,

collata, fuiſſe ſcilicet eum a Domino Joanne ad Archiepiſcopatum promotum, in partibus, uti vocant, conſecratum, palliumque ipſi miſſum, graves quoque proceſſus contra illos, qui caſtra Archiepiſcopatus detinebant, in ipſius favorem ab eo inſtitutos: per Dominum Benedictum etiam ejusque nuncios in Germaniam miſſos curatum, ut poſſeſſionem archiepiſcopatus obtinuerit. Deinde, quam ingratum is contra erga eccleſiam ſe præbuerit, his verbis ediſſerit: „Iſte poteſt dici valde protervus, vel ſuperbiens, vel valde crudelis „& ferox erga matrem ſanctam eccleſiam. „Poſt enim ſuſcepta tanta beneficia ſtatim „adheſit Bavaro, de hereſi & ſciſmate condemnato: *& preſtitum iſti jusjurandum eccleſie fidelitatis dicitur omagium feciſſe Bavaro & jusjurandum fidelitatis preſtitiſſe:* „(*a*) & ita fautor hereticorum dici poteſt. „Omni die vadit ad ſua conventicula: ſi „vera ſunt, que nobis relata ſunt, ipſe „ſuper omnes homines tenet eum in ſuperbia ſua, in ſua malicia, nec permittit venire ad reconciliationem ſuam. Ipſe

(*a*) Quæ alio charactere imprimenda curavi, mendoſa eſſe, facile vides.

Ipse enim ligam dicitur fecisse cum eo „ non verendo incurrere sententias latas „ per Dominum Joannem Papam. Ipse ni- „ hilominus cum capitulo suo dicitur in- „ trasse multa capitula in prejudicium istius „ sancte ecclesie, perjurium perjurio cu- „ mulando, que capitula diffusius conti- „ nentur in citatorio. — — Ut addat „ peccatum peccato, non solum proter- „ vus est in committendo, sed etiam con- „ tumax in omittendo. Contumax enim „ secundum Isidorum L. X. Etymolog. di- „ citur, quia contemnit vel negligit. Iste „ autem citatus super multis criminibus, „ primo per decessorem nostrum Domi- „ num Benedictum, (jam erunt cito se- „ ptem anni) postmodum vero per nos, „ (hodie est jam annus vel circa,) post „ multas prorogationes, tandem in termi- „ no prorogato contumaciter venire con- „ tempsit, mittens aliquas excusationes, „ quas prædecessor noster frivolas reputa- „ vit. Ergo contumax est & merito." Tan- „ dem multis interpositis ita invectivam hanc orationem finit: „ Quia ergo verba non sufficiunt, opus est facto. Et ideo quia „ iste citatus venire contempsit & excusa- „ tiones quasdam misit, primo excusatio- „

„ nes

„ nes illas, ficut propofite & fcripte funt, „ frivolas reputamus, & *(ipfum)* ab officio „ & beneficio fufpendimus, ad penas alias, „ prout fuadebit jufticia, procefluri. Ergo „ quilibet exemplo illius territus attendat fibi „ illud Prov. XXIII. Audi fili patrem tuum, „ qui genuit te, & non contemnas, cum „ fenuerit mater tua &c. Hæc ideo huc transferre volui, quod ejus rei, nifi mea in inquirendo me fefellerit induftria, haud meminerint Hardtius & Lenfantius. Stetiffe equidem illum a partibus Joannis XXIII. & poft ejus fugam e Concilio quoque digreffum *(b)* uterque annotavit *(c)*: criminis vero illius, cujus eum Pontifex reum peragit, a neutro, quod fciam, fit mentio. Nec ego fane, quo illa accufatio tendat, novi, ab aliis id edoceri cupidus. Cæterum incognitus fuit hic Codex, in Wirtembergia latens, Viro, dum viveret, Celeber-

(b) Non igitur ingratus in Joannem Papam fuit.

(c) Ille in Act. Concil. Conftant. Tom. IV. Part. II. f. 55. & Part. III. f. 148. fq. hic in Hiftoria Concilii Conftant. Gallice fcripta p. 79. 83. 141. edit. Amftelod. 1714. ubi etiam refertur, per legatos eum fe Concilio excufaffe, nec non p. 402. fuiffe vero Concilio femper fufpectum: tandem autem A. 1417. a Cæfare inveftitum p. 442.

leberrimo, & rerum Germanicarum, judice Herm. von der Hardt, ſcrutatori ſagaciſſimo, Jo. Ulrico Pregizero, quod ex deſcriptione itineris ab eo pro luſtrandis Conſtantienſis Concilii MSctis, juſſu Sereniſſimi Würtembergiæ Ducis, olim confecti apparet *(d)*. Continet vero hoc Volumen præter pauca alia etiam Judicium Magiſtrorum Academiæ Pragenſis de propoſitionibus quibusdam Jo. Münſingeri, a me in octavo hujus opellæ faſciculo *(e)* publici juris factum; nec non Judicium Magiſtrorum & Doctorum Academiæ Viennenſis, &c. de iisdem, quod hac vice ex apographo curate ſcripto Summe Venerandi Superintendentis Bietigheimenſis Domini Georg. Valentini Zeis cum lectoribus meis communicare viſum eſt.

(d) Exhibetur ea a Celeb. Hardtio in Prolegomenis Actorum Concil. Conſtantienſ. f. 8. ſqq.
(e) P. 511. ſqq.



IV. Judi-

IV.

JudiciumMagiſtrorumAcademiæ Viennenſis de propoſitionibus quibusdam Jo. Munſingeri.

Sequitur Declaratio Magiſtrorum & Doctorum Viennenſium.

IN nomine Domini Amen. Anno Nativitatis ejusd. 1386. Indictione Nonâ, Pontificatûs in Chriſto Sanctiſſimi Patris & Domini noſtri, Domini Urbani divinâ providentiâ Papæ ſexti Anno nono, 2. die menſis Junii, hora ſexta, in oppido Wiennenſi Patavienſis Diœceſeos in Collegio Domini Alberti Ducis Auſtriæ, &c. in comodo habitationis Venerabilis Domini M. Hainrici de Oyta Præpoſiti Widenburgenſis S. Theologiæ Doctoris eximii, in mei Notarii Publici infra ſcripti, teſtiumque ſubſcriptorum ſpecialiter ad hoc vocatorum & rogatorum præſentiâ,perſonaliter conſtituti Venerabiles Patres, Domini & Magiſtri, Dn. Leonardus Obleganenſis Dioc. Ordinis S. Auguſtini, Conradus de Ebraco Abbas Morimundi Herbipolenſis Dyoc. Ord. Cyſtercienſis, Hainricus de Langenſtain, alias dictus de Haſſia Moguntinenſis Dyoc. Hainricus de Oyta

Oyta prælibatus, Fridricus de Nürmberga Bambergensis Dyoc. Ordinis S. Mariæ de Monte Carmeli, Andreas Pataviensis Dyoc. Ordinis Cystercienfis, S. Theologiæ egregii Professores, attentis humilibus & devotis precibus, supplicationibus & petitionibus decentibus cum magna instantia dudum eisd. per honorabilem Virum Dn. Johannem Münsinger exhibitis & porrectis super articulis infra scriptis lumine Theologicæ veritatis delucidandis, & eorum dubiis penitus removendis, magistralem eorum Declarationem in quodam quaterno papireo per eos tunc publice & legittimè exhibito & producto de verbo ad verbum descriptam tradiderunt, ostenderunt, protulerunt & legittimè assignarunt, Omnes & singuli alta voce, alta, expressa & intelligibili voce ipsam Declarationem de ipsorum omnium & singulorum deliberata determinatione processisse & legittime emanasse affirmantes. Cujus quidem Declarationis & quaterni papirei tenor per omnia de verbo ad verbum erat & est iste: Petrus Apostolus J. Christi, Catholicæ gregis Pastor & Doctor ab eod. singulari Privilegio constitutus, vigilandum præcipuè in his, quæ fidei sunt Christianæ insinuans hortatur

tur omnes, maxime autem Præsides & Doctores, dicens: Dominum J. C. sanctificate in cordibus vestris parati semper ad satisfactionem omnipotenti, &c. Et quare hoc, nisi quòd fideles nullo dubitationis scrupulo in credendo facillent & ne facillantibus error surrepat, aut ne quisquam plus vel aliter sapere quam ... conatus, simplices Christi scandalizet, sed pervigili Catholicæ eruditionis exercitio hujusmodi amotis errorum exercitiis fideles Christi crescant in virtute, roborentur in spe, perficientur in fide. Hæc n. sunt propter quæ in principio Dominus Jhesus ab initio quosd. posuit in Ecclesia Apostolos, quosd. v. pastores & Doctores ad cosummationem sanctorum in opus ministerii ad edificationem corporis Christi mistici i. Ecclesie seu populi Christiani. Itaque m. hac ratione temporalium studiorum fructuosa exercitia erexit Spiritu S. edocta Apostolica auctoritate. In quibusd. veritatis gymnasiis erudiuntur simplices, crescunt Doctores in doctrina Katholicæ veritatis approbati, exeuntque inde pugiles pro fide, exeunt & canes gregem dominicum à lupis defensuri. Ibi distinguuntur dubia, elucidantur credenda, & dogmata reprobantur insana.

Acuitur gladius Spiritus, qui eſt verbum Dei, politur lorica fidei, fabricatur omnis armatura Dei, contra nequitias ſpirituales in cœleſtibus, contra pſeudoprophetas, qui veniunt in veſtitu ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Securè igitur & legittimè illic pro habenda diſcuſſione magiſtrali recurrendum eſt, quicquid ſcrupuloſæ quæſtionis ubicunque in his, quæ religionis ſunt Chriſtianæ, fuerit ſubortum, admonente Scripturâ Devt. 17. Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris, ſurge & aſcende in locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniensque ad ſacerdotes Levitici generis quæras ab eis, qui indicabunt tibi judicij veritatem, & facies quæcunque dixerint, qui præſunt loco, quem Dominus elegerit, & docuerint te juxta legem ejus, ſequerisque ſententiam eorum non declinans ad dextram vel ad ſiniſtram. Cùm ergo ſacerdotibus Vet. Teſt. ſucceſſerint apoſtoli, paſtores & doctores, ut docet Apoſtolus, multo magis utique ſub lege Chriſti, veni etenim non ſolvere legem ſed adimplere, à fidelibus ſuper dubijs miſteria Chriſtianæ religionis concernentibus diſcutiendis ordo præſcriptus minimè debet negligi aut obmitti. Hæc præmittendo dixe-

rimus declarantes & aperientes ſimpliciori-bus viam diſcuſſionis legittimam, ne forte decipiantur vel decepti ſint, per quosdam pſeudo homines ignaros, ſcolaſticæ erudi-tionis expertes, ſtudiorum emulos, & Do-ctorum apoſtolica auctoritate approbato-rum detractores, qua arte . . . ſimplicio-res deviantur. De quibus Bernhardus . . . vir ignarus eſſe perhibetur, qui cùm eorum vita atteſtante animales ſint, non cogno-ſcentes quæ Dei ſunt, ſed quæ eorum ac-curatius attendentes, indiſcrete ſe omnibus præferunt, Et ſub quad. fictâ ſimplicitate ſpeciem vulpinam abſcondentes callidita-tem de propoſitionibus verſis in dubium cir-ca Chriſtianæ religionis præcipua myſteria & ſacramenta, temerario auſu & ſcribere præſumunt & diffinire. Unde & ſuper hu-jusmodi quibusd. propoſitionibus in dubium revocatis de miſterio incarnationis & euka-riſtiæ nuper fuit exhibitum & præſentatum Facultati Theologicæ Studij Wiennenſis quoddam Inſtrumentum publicum, quod ſic incipit: In nomine Domini Amen. Anno Nativitatis ejusd. 1385. Ind. 8. die 12. menſ. Sept. hora veſperarum vel circa, in conven-tu Ordinis Prædd. oppidi Ulmenſis, civibus Ulmenſibus teſtibus ad præmiſſa vocatis pa-

riter

riter & rogatis. Quod quidem inſtrumentum continere cernimus quasd. propoſitiones cum earum probationibus & deductionibus in dubium à quibusd. revocatas, & ob hoc etiam Univerſitati Wiennenſi, ut veritas evidentius cognoſcatur ſub manu publica per M. Johannem Münſinger, qui eas poſuiſſe perhibetur exhibendas, qualiter eum feciſſe fatemur his . . . . Et quamvis determinatio magiſtralis illarum propoſitionum ad nos primo & principaliter relata non fuerit, ut tenor indicat inſtrumenti præfati; tamen quia rogati & multiplici inſtantia impulſi fuimus per eos, qui dictum inſtrumentum conſenſſerunt, cupientes quodammodo etiam noſtras opiniones ſuper illis propoſitionibus. Advertimus ideo, quòd licet aput intelligentes & exercitatos ſenſus & Catholicam facultatem habentes non debeat de illis propoſitionibus magnum eſſe dubium, tamen quia apud ſimpliciores, in lacte magis quam in ſolido cibo juxta doctrinam Apoſtoli nutriendos, poſſent dictæ propoſitiones ſcandali fomitem occaſionaliter miniſtrare; ad conſulendum ſaluti fidelium & ad amputandum circa tam venerandum tamque ſaluberrimum ſacrámentum omnem dubietatis ſcrùpulum ex

 dictis

dictis propoſitionibus ortum vel veriſimiliter oriturum, benigniſſimè & clariſſimè abſque multarum deductionum ambagibus dicimus concorditer, Primò de Propoſ. I. quæ erat: Corpus Chriſti non eſt Deus, quod quia ex ejus deductione in inſtrumento contenta clare patet, quòd ponens eam accepit corpus Chriſti pro eâ ſubſtantiâ in quam converſus eſt panis vi conſecrationis Sacramenti Eukariſtiæ, ideò ipſe in ponendo illam cenſendus non eſt nec erat ab aliqua Catholicâ veritate erråſſe, quia ſic capiendo corpus Chriſti nulli Theologo nec Philoſopho eſt dicta propoſitio dubia, ſed certiſſimum eſt, quòd ejus contradictoria, videlicet illa: Omne corpus Chriſti eſt Deus, eſt falſiſſima & hæretica. Secundo dicimus, quòd hæc propoſitio: Corpus Chriſti non eſt Deus, abſolutè & nudè poſita eſt Catholicè de virtute ſermonis concedenda, tùm quia ly corpus in modis loquendi humanis communiter ſumitur pro ſubſtantia corporea, quæ eſt vel fuit in homine præter animam; tùm quia ita ſumunt DD. & S. Scriptura, prout notum eſt apud illos, qui aliquid de Scripturâ S. vel etiam de Philoſophia intelligunt, & ideo multas ad hoc adducere auctoritates ſuperfluum eſt. Et

quamv.

quamv. Catholicè concedendum ſit, quòd Chriſtus eſt corporeus vel corpus concretum, loquendo ratione unionis yppoſtaticæ, licet non ſit corporeitas, ſicut Chriſtus eſt homo & non eſt humanitas, tamen ly corpus non ſumitur ſic communiter ſive uſualiter, ſed ſicut dictum eſt ſuperius. Et per conſequens illa indefinita virtutę ſermonis eſt concedenda: Corpus Chriſti non eſt Deus, quamvis ſecundum hoc hæc negativa univerſalis: Nullum corpus Chriſti eſt Deus, eſſet neganda. Conſequenter dicimus, hanc propoſitionem: Humanitas Chriſti non eſt homo, Katholicè concedendam eſſe juxta communem modum loquendi DD. & Scripturarum, in quibus ly humanitas Chriſti ſumitur pro compoſito ex humanâ naturâ anima & corpore, quod quidem compoſitum ſic aſſumptum eſt à Dei filio & perſona filij Dei facta eſt perſona ſive ſubſiſtentia illius compoſiti, quod compoſitum humana natura dicitur, & non fuit nec eſt actu perſona nec homo, quamv. aptum natum ſit eſſe perſona, quia diviſum à filio Dei inciperet in ſe perſonaliter ſubſiſtere & eſſe homo. Iſtam dicimus doctrinam veram & ſolidam circa hunc punctum juxta Scripturas & communem DD. traditio-

tionem. Alia propositio est, quòd Christus non sit compositus ex natura humana & divina. Circa quam dicimus, quod quamv. hæc Propositio: Christus homo est compositus, referendo compositum ad naturam assumptam & non ad personam assumentem, concedi possit, quia de ratione cujusl. hominis est, ut in eo sit compositio, qua ex anima rationali & corpore fiet unum per se, prout attestatur Symbolum Athanasii; tamen nequaquam est concedendum, quod homo Christus sit taliter compositus ex naturâ humanâ & divinâ, quia in hoc omnes concordant & Philosophi & Theologi; Ex natura creata & increata nihil per se unum nec aliquod ens fieri potest. Et quia ex dictis in prædicto Instrumento circa illam propositionem contentis apparet clare, quod ponens illam propositionem loquitur de compositione, qualiter dictum est, proprie dicta, prout ex componentibus fit per se unum, ideo in hac propositione nec veritati nec Doctoribus contradicit, quia Damascenus & alii Doctores, quorum dicta sonant, Christum esse yppostasim compositam, loquuntur large de compositionibus, ad hunc sensum: Christus est yppostasis composita, i. e. in Christo est duarum natu-

naturarum scil. divinæ & humanæ compositio, i. e. simul positio in una persona, hoc est dicere, quòd Christus est persona divina, quæ est subsistentia duarum naturarum, inter quas tamen non est aliqua compositio faciens suppositum aliquod vel aliquid per se unum. Illis tamen naturis diversimode persona divina subsistit, nam uni earum, scil. naturæ divinæ ydempticè & necessariò, alteri verò non ydempticè sed contingenter. Alius sensus est habendo respectum ad compositionem naturæ humanæ in Christo, ut jam dictum fuit. Et adhuc alio modo dicitur esse Christus compositus, utpote denominativè, ratione unionis hypostaticæ, ita videlicet, quod sicut ratione mortalitatis assumptæ naturæ Christus dicitur mortalis, ita suo modo compositione assumptæ naturæ denominetur compositus. Ex quibus omnibus clare judicamus, quòd sicut nec anima nec corpus indifferentialiter unus est homo, ita nec divinitas anima & corpus indifferentialiter unus est Christus, ut quidem scolasticæ disputationis & eruditionis emuli & ignari, præcursores AntiChristi indocti, sub colore simplicitatis columbinæ simplicitatem introducentes asininam, de misterio incarna-

tionis indiscrete nedum loqui sed etiam scribere præsumunt, & præsumptuosè loquentes in Christo substantias confundunt, divinam scil. & humanam, contra illud Athanasij: Unus omnino, non confusione substantiæ; & contra illud ejusdem: Licet Christus sit unus, non tamen duo. Et à fortiori Christus Deus est homo non est quæcunque tria, sed est una persona divina tribus naturis subsistens, quæ non sunt nec faciunt aliquod suppositum unum, ut liquet ex præmissis. Rursus omnes DD. assertivè clamant, quod filius Dei assumpsisset, quod non erat. Igitur nec Theologica auctoritas permittit, quod illa tria indifferentialiter sint unus Christus, nec philosophica admittit traditio, quod anima & corpus indifferentialiter sint unus homo, quamv. enim ex corpore & anima fiat aliquid per se unum, quod est homo, manent nihilominus anima & corpus suis differentijs specificis distincta, quod nemo qui parum etiam .... gustaverit, dubitare potest. Et quia fortassis occasionem erroris sumpserunt sic loquentes ex illo passu Symboli: Sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus; ideo hoc sic accipiendum dicimus: Sicut anima rationalis &c.

lis &c. i.e. ficut homo eft fuppofitum duarum naturarum fimul fumptarum, quæ funt anima rationalis & caro; ita Chriftus eft fuppofitum duarum naturarum, fcil. divinæ & humanæ. Eft tamen in hoc exemplo duplex diffimilitudo. Prima in hoc, quod perfona puri hominis eft ydemptice anima rationalis & caro, perfona verò hominis Chrifti non eft duæ naturæ fcil. divina & humana, fed utramque perfonat utrique fubfiftendo. Secunda diffimilitudo eft, quia in perfona puri hominis anima rationalis & caro faciunt per fe unum, in perfona autem hominis Chrifti natura divina & humana non conftituunt aliquid per fe unum, ut vifum eft in præmiffis. Patet ergò quòd in præmiffo paffu fymboli ly ficut non fumitur, ut dicit omnimodam fimilitudinem, fed prout notat aliqualem conformitatem. Alia propofitio erat, quòd corpus Chrifti non eft adorandum adoratione latriæ. Circa quod primò dicimus: Sanè quòd five afpiciatur corpus Chrifti five ejus fanguis fub fpeciebus panis vel vini intentio adorationem latriæ exhibentis terminari & referri primò & per fe in Chriftum verum Deum & hominem fub utrisque fpeciebus totaliter contentum, hæc eft veritas folida & omnium

DD. intentio, quam hic præmittimus. Et dicimus notanter, primo & per ſe, quia communis modus loquendi Doctorum in hâc materiâ innuit, quod etiam humanitas vel corpus Chriſti, in quantum unitur divinitati, quodammodo adorari dicatur adoratione latriæ, ubi quia verba DD. ſic loquuntur, & bene & male intelligi poſſunt, ideo Doctorum intentionem in hac materia elucidandam dicimus, quòd intentio DD. ſic loquentium non eſt nec fuit, quòd humanitas aſſumpta à filio Dei ratione unionis ad divinitatem ſic intrinſece deificetur, cujus etiam adoratio latriæ terminare & ſingulariter referri debeat in ipſam, quamdiu eſt unita divinitati ſive divinæ perſonæ. Hoc enim non eſt verum, ideo ſic faciens ydolatriam committeret, attribuens puræ creaturæ, quod ſoli Deo attribuendum eſt. Non eſt ergo hæc intentio Doctorum, ſed omnium dicto modo loquentium de adoratione corporis Chriſti, in quantum eſt unitum divinitati, quòd quia adoratur Chriſtus verus Deus & homo, & humanitas ſeu corpus eſt aliquid illius hominis, ideò etiam corpus ejus indiſtincte, ſecundum modum loquendi, quo denominatio totius ſolet transferri in partem, denominativè adorari adoratione la-

ne latriæ. Non tamen intelligatur, quod humanitas ſit pars Chriſti, ſed aliquid Chriſti cui verbum ſubſiſtit, & quo Deus eſt homo, & ad illum modum adorandi corpus Chriſti adoratione latriæ nullo modo ſequitur, quòd intentio adorantis terminetur aut terminari debeat ultimatè in naturam humanam vel in corpus Chriſti ſub Eukariſtia contentum. Sed per illud corpus ſub ſpeciebus viſum, tanquam occaſionem adorandi Chriſtum præbens in eo paſſum intentio adorantis tranſire debet in Chriſtum verum Deum & hominem, qui eſt ſub ſpeciebus ſacramenti. Et quia ſic conſiderando corpus divinitati conjunctum, in quo Chriſtus eſt paſſus pro nobis, ſeu ſimiliter quantum ad ſpecies objectum & præſentatum adoramus ipſum cujus eſt corpus, ideo dicimus eâd. adoratione latriæ adorari utrumque diverſimodè, tamen quia unum ſcil. Chriſtum finaliter & terminativè, & aliud ſcil. corpus Chriſti non ſic ſed tantùm relativè in alterum, ſcil. cujus eſt corpus, quod in illa adoratione latriæ Chriſto exhibita ſimul honoratur, faciendum eſt ergò ſanè, quod ead. adoratione quâ ſolus Deus eſt per ſe & propriè adorandus, etiam ejus corpus & humanitas aliquo modo adoranda dicenda eſt,

modo

modo ſcil. ſupra declarato, conformi cuidam Synodo Eccleſiæ, in quâ dicitur: Si quis duabus naturis dicit adorari Chriſtum, ex quo duæ adorationes introducuntur, ſed non una adoratione Deum verbum incarnatum cum propriâ ipſius carne adorat, ſicut ab initio Eccleſiæ traditum eſt, talis anathema ſit. Et iterum: Si quis audet dicere, aſſumptum hominem coadorari oportere domini verbo quaſi alterum alteri, & non magis unâ adoratione honorificat Emanuelem, ſecundum quod factum eſt caro verbum, anathema ſit. Idcirco dicimus, quòd coram Eukariſtia vel viſa ipſa debet tanta & talis exterior & interior reverentia fieri, ſicut fiebat coram Chriſto vel ad Chriſtum in terra ambulantem, & ſicut modò fit à ſanctis ad ipſum in cœlo. Ita quod ſicut tunc fiebat relatio adorationis ad illum hominem verum Deum, qui videbatur; ita hic in propoſito fieri debet, quia iſte idem homo in numero verus Deus eſt totus ſub ſpeciebus Eukariſtiæ, & mediantibus eisdem, velatè videtur, quia tunc nudè in ſeipſo ſeu in propria forma videbatur, & jam in cœlo videtur.

Ultima propoſitio erat: Hoſtia conſecrata non eſt Deus. Circa quam dicimus, quòd

quòd quia hostia sacra vel consecrata, quantum ad propositum pertinet, consuevit in scripturis divinis & apud DD. Katholicos tripliciter accipi: 1. videlicet pro accidentibus, sub quibus vi consecrationis est corpus vel sanguis Christi. 2. pro ipso sanguine & corpore Christi quæ ibidem ratione consecrationis sunt. 3. pro ipso Christo, qui est sacerdos & hostia juxta illud Apostoli ad Hebr. 9. Qui per Spiritum S. seipsum obtulit immaculatum Deo. Hoc præsupposito cum probationibus dictæ propositionis in Instrumento Publico contentis, clarè patet, quod ille qui dictam posuit, accepit hostiam consecratam primo modo, non judicamus in hoc ipsum ab aliquâ Katholicâ veritate deviâsse, nec quenquam qui diceret, hostiam consecratam secundo modo non esse Deum, errare, sed hoc dicentem credimus Katholicè sentire. Quia tamen secundum communem omnium Sanctorum sententiam nihil in Deum substantialiter possit converti, conveniens est, quòd licet sub accidentibus panis post consecrationem sit realiter Christus verus Deus & verus homo, tamen vi consecrationis conversivè solum est corpus Christi sub speciebus panis, in quod virtute consecratio-

crationis panis convertitur, quod quidem corpus non est Christus, sed est quædam substantia corporea quæ dicitur caro Christi, quæ est hostia secundo modo accepta. Et hæc est sententia concors DD. Katholicorum, dicentium, sub speciebus panis post consecrationem esse carnem vel corpus Christi formaliter & per se vi consecrationis, & quia caro illa non est sine sanguine & anima & persona divina sine divinitate, cui humanitas in Christo est unita, dicunt DD. & secundum hoc est intrepidè à fidelibus credendum, quòd in Sacramento Euk. sub speciebus panis & vini concomitanter sunt sanguis & anima, & per consequens ibi est veraciter Christus Deus & hómo, ac per hoc etiam seipsum in sacramento dedisse fatendum est, juxta illud Joh. 6. Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi &c. Ex quibus clarè patet, quòd intentio Christi in cœna consecrantis & dicentis: Accipite, manducate, hoc est corpus meum, non erat loqui de seipso, sic quòd post consecrationem fieret conversio panis in seipsum Deum, sed solum in corpus suum juxta prius dicta. Quod etiam constat, quòd postquam locutus est de corpore, distinctè subjunxit de sanguine, dicens: Hic est san-

eſt ſanguis meus. De illis quibusd. dictis & propoſitionibus in dicto inſtrumento contentis nihil decrevimus, & quod in eis nihil ſcrupuloſæ aut periculoſæ dubietatis eſſe judicamus. Quæ autem in prædictis diximus Zelo elucidandæ veritatis & removendæ ſcrupuloſitatis ad eruditionem ſimplicium prout occurrit absque præjudicio ſanè diximus, ſaniùs in ſapientum magiſtrali ſeu ſcolaſticæ declarationi duntaxat infixi, Romanæ præſertim Eccleſiæ totum hoc & cætera hujusmodi auctoritate determinanda reſervantes. Finit Declaratio.

Incipit Declaratio ſuper Collatione M. Johannis Münſingers Rectoris Scolarium tunc temporis in Ulma.

CUm omne crimen atque peccatum oblatis Deo ſacrificijs deleatur, quid de cetero pro delictorum expiatione Deo dabitur, ſi circa ipſum ſacrificium erratur? ut de Conſecratione Diſt. 5. Cum omne, & eâd. ſ. Quotiescunque. Ne igitur circa infra ſcriptas propoſitiones, quæ de ſacrificio loquuntur altaris, error aliquis oriatur in fidelium cordibus, vel ex quorundam temeraria

ria & frivola ipſarum impugnatione ac contradictione, contra quos pro veritate defendenda expedit, ut fideles maximè in ſacris & canonicis ſcripturis inſtructi ſe opponant murum defenſſionis pro domo, ut Ezech. 14. & 1. Q. 3. Salvator, & 4. Diſt. ſ. error ſubortus. Idcirco attendentes illud Jeronymi: Innocens absque ſermone converſatio quantum prodeſt exemplo, tantum nocet ſilentio. Latratu namque canum & paſtorum baculo lupi ſive veritatem impugnantes arcendi ſunt. 4. Diſt. in principio. Et indiſcretum ſilentium eos qui erudiri poterant in errore derelinquit. Ead. Diſt. ſ. error. Attendens inſuper quòd error cui non reſiſtitur approbatur, & veritas cùm minimè defenſſatur opprimitur. 8. Diſt. Error. Nec prodeſt alicui ſuo errore non pollui, ex quo conſenſſum etiam negligentià præſtat erranti. Ead. Diſt. 83. can. cap. non eſt grandis. Et cap. Quid prodeſt. Ipſas propoſitiones & earum veritatem nil tamen de proprio affirmando vel ponendo ymmo ipſarum propoſitionum declarationem & approbationem ſanctæ Sedi Apoſtolicæ ſemper reſervando, ipſas ex ſcripturis ſacris canonicis duximus declarandas.

Et

Et 1. pro declaratione hujus propositionis, quâ dicitur, quòd solus Deus adoratione latriæ est adorandus, est advertendum, quòd in oratione latriæ, prout notat glossa de Consecr. Dist. 3. in canone Venerabilis, tria exiguntur, videlicet caritas dilectionis, multitudo sacrificiorum & veneratio. In dulia vero sola veneratio requiritur. Sed archidyaconus in eod. cap. dicit, quòd duæ sint species adorationis, puta latria & dulia. Latria, dicit ipse, est servitus sive cultus soli Deo debitus. Dulia verò est cultus, qui debetur creaturæ. Et hoc habetur per versum: Dulia fit servo, debetur latria Christo. Latria tamen secundum ipsum habet in se quatuor; Dulia unum solum. Adoramus enim Deum adoratione latriæ, ipsum diligendo super omnia, credendo in eum, sacrificia illi offerendo, & super omnia venerando. Creaturam verò sanctam adoramus reverentiam exhibendo, non in eam credendo vel super omnia diligendo vel sacrificia impendendo, hoc enim esset ydolatrare. Istis præsuppositis probatur veritas propositionis sic: Nulli creaturæ serviendum est cultu divino, ut in præallegato cap. Venerabilis, & exponit ibi glossa cultu divino scil. latria. Ergo appa-

ret ex isto textu juncta glossa, quod nulli creaturæ debetur adoratio latriæ. Si ergo nulla creatura adoranda est cultu latriæ, igitur solus Deus adorandus est adoratione latriæ. Argumentum claret ex eo, quia quidquid est, vel est creator vel creatura. Facit de Consecr. Dist. 2. cap. quia passus, & cap. reverentia. Sed nulla creatura est adoranda adoratione latriæ, ergo sequitur, quòd solus Deus. Præterea si aliquid aliud à Deo esset adorandum adoratione latriæ, ergo esset in ipsum credendum, & super omnia diligendum, & venerandum, ut in notatis supra dictæ glossæ & Archidyaconi patet, quod falsum est. Et facit Clementina de reliquijs & veneratione sanctorum. Solus enim Deus super omnia diligendus est, & quilibet eum plus se diligere tenetur, ut de Pœnit. Dist. 2. Provide iterum ergo concluditur, quòd soli Deo debetur latria, quia solus Deus super omnia diligendus & venerandus est. Probatur etiam veritas conclusionis ex descriptione latriæ, quæ est cultus soli Deo debitus. Sic probatur veritas primæ conclusionis cum suo correlativo, quod est textus in præællegato Cap. Venerabilis.

Pro veritate alterius conclusionis, quâ dicitur. Corpus Christi non est Deus, inducitur textus, qui hoc ad literam probat,

qui

qui habetur de Consecr. Dist. 2. §. credis, ubi dicitur: Si credis à Christo carnem esse susceptam, & offeras transfiguratum corpus in altari, nec tamen distinguis naturam verbi, ubi dicit ArchiDiaconus: verbi i. e. divinitatis vel deitatis & corpus Christi. Dicitur Si rectè offeras, rectè autem non dividas, peccasti, & sunt verba S. Ambrosij in sermone de Abel & Cayn. Et dicit glossa: Qui igitur in altari patri filium ymolat rectè ymolat, sed si in ead. persona duas naturas non intelligat, non rectè dividit. Et dicit ArchiDyaconus super eand. literam: non tamen distinguis inter naturam verbi & corpus Christi, i. e. si non discernis inter naturam deitatis & humanitatis, sed dicas fuisse commutabilitatem naturæ in naturam, non assumptionem naturæ cum naturâ, peccasti. Patet igitur ex prædicto canone, & dictis glossæ & archidyaconi, quòd corpus Christi non est Deus, nec est commutabilitas naturæ in naturam sed assumptio. Et quòd peccet ille, qui inter corpus Christi & divinitatem non distinguit. Facit etiam ad justificationem quæstionis, quod ponit Archidyaconus 23. Dist. in cap. qui omnipræsens, ubi dicit: In ypposta si filij est trinitas substantiarum, videlicet deitas, corpus & anima. Ex quibus patet ve-

ritas conclusionis cum correlativo suo, quo dicitur: Corpus Christi est creatura. Si enim non est Deus, ut ostensum est, sequitur quod sit creatura. Præterea incepit esse & sumptum est de virgine. De consecr. Dist. 2. quid sit sanguis, & cap. omnia, & cap. reverentia, cum similibus, & originaliter Matth. 2. Ergò sequitur quod non sit Deus, cùm Deus non inceperit esse. De summa trinitate ca. firmiter. Ex quibus etiam patet secundum correlativum, quod corpus Christi non est adorandum adoratione latriæ. Si enim nil est adorandum adoratione latriæ nisi solus Deus, videlicet ex probatione Conclusionis primæ, & si corpus Christi non est Deus, ut declaratur ex deductione conclusionis secundæ, sequitur necessario, quod non sit adorandum adoratione latriæ. Hoc etiam tenet glossa expressè in cap. accesserunt de Consecr. Dist. 2. super verbo nemo, ubi sic dicit: Adoramus quidem humanitatem Christi quadam veneratione majori quàm universas creaturas, illa tamen quæ dulia est non latria. Si ergo humanitas Christi ad quam pertinet ejus . . non debet adorari latria sed dulia, ergo nec corpus, & sic bene stat conclusio cum suis correlativis. De veritate alterius conclusionis nulli ambigendum est, videli-
cet

cet quòd species panis & vini in sacramento altaris non sint Deus, per ea quæ habentur de Consecr. Dist. 2. in cap. signum & in canone species, ubi dicit, quod species & similitudo illarum rerum . . . sunt. Et per ea, quæ notantur in can. non est iste, & cap. tribus gradibus, ubi notat Glossa & Doctores, quomodo & quando tales species desinunt esse? Sed quod desinit esse, non est Deus. De veritate intellectus conclusionis nullum est dubium, sed quod modus loquendi sit bonus & canonicus, etiam dato quod in fine ejus conclusionis non fuisset adjunctum illud: intelligendo per hostiam consecratam species seu accidentia, probatur per canonem eâd. Dist. 2. dum frangitur hostia, ubi loquitur de sacramento vel hostia consecrata, & tamen ibi proferendo simpliciter hostiam, sumitur hostia pro speciebus, quia dicit: dum frangitur. Sed certum est, quòd hostia, quæ est corpus Christi, de qua loquitur alter canon ead. Dist. de hac quidem hostia, frangi non potest, ergo supponit pro speciebus, etiam nulla determinatione adjecta ut ibi notatur. Præterea dato non tamen concesso, quòd modus ille loquendi sine additione non possit stare, tamen adhuc ponens propositionem excusabilis est ex eo, quod statim sub-

junxerit, quid per hostiam consecratam intelligere voluerit. Sed ea quæ statim fiunt in esse videntur, de Electione cap. officij. Nec est multum hoc curandum de verborum ordine, ex quo constat de mente, De confirmatione utili vel inutili, Venerabiles. Non enim intentio sermoni sed sermo intentioni deservit, & plerumque dum proprietas terminorum attenditur, sensus veritatis amittitur. De verborum significatione cap. de Intelligentia, & cap. Propterea. Et facit prima quæstione primo capitulo Martianus, ubi dicitur: non in rebus scripturarum esse Evangelium sed in sensu. Recipimus etiam conclusionem tertiam irreprehensibilem esse & ad veritatem & ad modum loquendi. Alia verò conclusio, quâ continetur, quòd quatuor sunt sub sacramento, scil. corpus Christi, sanguis ejus, anima Christi & Deitas, quorum solum unum scil. Deitas est Deus; illa quantum ad primam partem sui, videlicet quòd illa sint ibi, probatur per ea quæ habentur & notantur de Consecr. Dist. 2. cap. corpus Christi secundo, ubi dicit Archidyaconus, quod secundum Augustinum . . veritas notat realem existentiam, quia dicit Augustinus, quod est id quod est, sic est ibi corpus Christi secundum veritatem & similiter

san-

ſanguis, ymmo eſt ibi totus Chriſtus, quia totus in ſingulis portionibus, ut de Conſecr. Diſt. 2. cap. ubi pars, & cap. ſingulis. Sub ſpecie tamen panis eſt tantum caro per converſionem & ſanguis per commixtionem, Deitas verò per unionem. Ex iſtis probatur concluſio, quantum ad primam ſui partem, quod illa ſunt ibi in veritate. Et faciunt etiam ea, quæ notat gloſſa ead. Diſt. cap. Comperimus. Sed quantum ad ſecundam partem, quòd nullum eorum ſit Deus niſi Deitas, probatur ex his quæ dicta ſunt in deductione Concluſionis ſecundæ, quia ut ibi probatur, illæ naturæ ſunt in Chriſto per modum aſſumptionis naturæ ad naturam vel unionis, non per modum commutabilitatis naturæ in naturam, ut in cap. Si credis ead. Diſt. præallegato. Ergo Concluſio vera. Si enim humanitas non eſt Deus nec Deitas, ergo nec corpus vel anima vel cætera, ſic ſtat concluſio vera cum correlativis. Alia concluſio qua dicitur: Chriſtus exiſtens filius Dei & filius B. Virginis non eſt compoſitus eſt Deitate & Humanitate, probatur per ea quæ habentur de Conſecr. Diſt. 2. in canone. Hoc eſt quod dicimus, ubi dicit Auguſtinus, quod ſacrificium Eccleſiæ duobus conficitur, ſcil. ſacramento & re ſacramenti, i. e. corpus Chriſti ſicut

Chrifti perfona conftat & conficitur ex Deo & homine, cùm ipfe Chriftus fit verus Deus & homo, quia omnis res illarum rerum naturam & veritatem in fe continet, ex quibus conficitur. Surgit ibi gloffa quæ ab omnibus approbatur, dicens, quòd Auguftinus loquitur impropriè, quia five intelligatur facrificium ipfum facramentum, videlicet fpecies vifibiles, five corpus Chrifti, non eft verum, quod dicitur, quòd ex eis nil conftituitur, fed tenetur collectivè pro facramento & re facramenti. Sic & illa gloffa dicit: valde impropria eft probatio, Chrifti perfona conficitur ex Deo & homine, non enim ex Deo & homine aliquid conftituitur, unde alibi dixit Auguftinus: Chriftus eft una perfona geminæ fubftantiæ, quia Deus & homo, nec per hoc Deus hujus perfonæ pars dici poteft; non enim ex Deo & homine aliquid conftituitur dicit gloffa, fed ficut ad conftitutionem alicujus totius exiguntur ad minus duo, ita ad hoc quod Chriftus fit Deus & homo, exigitur ut illa duo fint in eo, humana natura & divina, & ideo exponit: Chrifti perfona conficitur ex Deo & Homine, i. e. Chriftus eft Deus & homo. De Hæreticis ca. cum Chriftus. Patet igitur ex illa gloffa, quod ex Deitate & Humanitate nil conftitui-

tui-

tuitur compofitivè. Sic patet quòd conclufio eft vera. Sed eft bene humanitas unita Deitati unione quad. non conftitutiva, qua multa membra unum corpus conftituunt, vel nativa, ut qua anima & caro unus homo nafcitur, nec alijs quinque vel fex fpeciebus unionis, de quibus fcribit B. Bernhardus ad Eugenium, fed unione dignificativa fecundum ipfum B. Bernhardum, cujus verba ponit Archidyaconus de Confecr. Dift. 2. ca. in Chrifto pater. Alia autem conclufio, qua dicitur: Humanitas Chrifti non eft homo, probatur per ea quæ fcribit Archidyaconus in præallegato cap. In Chrifto pater, ubi poft plura dicit, quod à verbo divino non eft affumptus homo, nifi fumatur homo pro natura humana. Si enim Chriftus affumpfiffet hominem, tunc fequeretur quod in Chrifto effent duo fuppofita, quod eft hæreticum, ut ibidem notat ipfe, fecundum Hilarium nono de Trinitate, qui dicit: In Chrifto effe unam perfonam, unum fuppofitum, unam rem, unum effe, fed duas naturas; fic probatur, quòd humanitas Chrifti non eft homo. Præterea in eod. ca. in Chrifto pater, fuper verbo ordinem, idem Archidyaconus inter alia tractans de unione Chrifti ad patrem & noftri ad Chriftum, dicit fecundum Hilarium:

Nulla eſt comparatio terrenorum ad Deum, major enim eſt hinc inde unitas Chriſti ad Deum vel ad divinam naturam, quàm ad nos vel etiam humanam naturam, & ideo, dicit ipſe: divina natura prædicatur de Chriſto in concreto & in abſtracto, quia dicimus, quod ipſe eſt divina eſſentia vel natura vel etiam ipſa divinitas. Non autem ſic humana natura prædicatur de Chriſto. Cùm igitur ſecundum Hilarium illa non ſit bona prædicatio: Chriſtus eſt humanitas, & tamen Chriſtus eſt homo verus, ut in eod. cap. In Chriſto pater; ſequitur evidenter, quòd humanitas Chriſti non ſit homo. Sic probatur etiam veritas illius concluſionis & omnium præcedentium. Illam autem, quòd Deus non eſt creatura, deducere ad præſens non curo, quia manifeſta probatione non indiget, 2. quæſt. 1. manifeſta, & cap. Euleutherius, cum multos &c. Veritas illius propoſitionis, quâ dicitur, quando ſacerdos vult communicare infirmum, dicit: credis hoc eſſe corpus Chriſti, oſtendendo hoſtiam conſecratam; Intentio utriusque debet ferri ſuper id quod creditur, & non ad id quod cernitur, ſcil. albedo. Probatur expreſſe per textum cap. nos autem de Conſecr. Diſt. 2. ubi ſic ſtat litera: Nos autem in ſpecie panis & vini qua vi-

demus

demus res invisibiles, i. e. carnem & sanguinem Christi honoramus. Ex quo expressè apparet, quòd credulitas referenda est non ad species sed ad rem sacramenti sub speciebus latentem. Hoc idem probat cap. forte ead. Dist. ubi dicitur, quod sub speciebus panis verum est corpus Christi, & assignat rationem, quare potius sub illis speciebus quàm in formâ carnis appareat, & ibi hoc plenè per glossam & DD. probatur. Etiam per cap. præsens est in altari & per cap. corpus Christi, cum multis alijs quæ inducere foret longum, quæ visa ad oculum probant. Alia propositio, qua cavetur, quòd tanta veneratio debetur calici consecrato quanta hostiæ consecratæ, probatur per ea quæ habentur De Consecr. Dist. 2. comperimus, ac per glossam ibidem super verbo divisio, ubi textus videtur innuere, quod sacramentum possit dividi, dicit glossa, hoc refertur ad species. Omne enim verbum, ut dicit ArchiDyaconus ead. Dist. ca. triforme ad sensum hominis pertinens vel aliquam corruptionem innuens, non ad corpus Christi, quod impossibile est dividi vel frangi, sed ad species refertur. Et subjungit glossa: Impossibile est enim corpus Christi vivum esse sine sanguine, sic est vice versa. Sed in calice est sanguis non

per

per conjunctionem sed per conversionem & etiam omnia quæ sunt sub hostia, in ead. glossa. Probatur ergò quod tanta sibi debetur reverentia, quanta hostiæ. Et quia ista quæ sunt sub hostia, sunt etiam in calice, assignat glossa rationes ibi, quod adhuc non superfluè sumatur in calice, quod prosequi non curo ad præsens, quia non multum ad propositum nostrum.

Circa istam vero propositionem, utrum Christus resumpserit totum sanguinem, est advertendum, quod canones probant bene quòd resumpserit. Dicitur enim in canone: tunc dicit eis Petrus: Ut sanguinem biberent credentes, quem fuderunt sævientes. Et sunt verba B. Petri Apostoli Act. 2. Et iterum in cap. accesserunt ead. Dist. dicitur: Jam securè bibite quem fudistis, & loquitur ad Judeos. Et iterum dicit idem textus: Ipsum sanguinem quem per insaniam fuderunt, per gratiam biberunt. Ex quibus clarè patet, quòd ipsum sanguinem quem Christus in cruce fudit, illum resumpsit, alias in sacramento non sumeretur, quod tamen probant illi textus. Et licet hoc probetur, non tamen probatur clarè, quòd totum vel tantum resumpserit, quantum sibi pro immortali vita expediebat & sufficiebat.

V. ME-

V.

MEMORIA
PERILLUSTRIS
ATQUE
GENEROSISSIMI DOMINI
RAYM. KRAFFT
DE DELLMENSINGEN,
REIP. ULMENSIS, CUM VIVERET VIRI CONSULARIS IMMORTALITER MERITI.

Exigit a me pietas, ut, cui vivo tot beneficiis obstrictus & mancipatus tenebar, cuique potissimum vitam & spiritum veluti hæc qualiscunque opella debebat, ejus mortui memoriam post fata venerer, & aliis quoque reverenter habendam, quantum in me est, commendem. Licet igitur iis, queis deceret, eloquii viribus ad tanti tamque non genere modo & dignitate, sed meritis etiam ac virtutibus eminentis Viri vitam enarrandam laudesque celebrandas me haud instructum esse lubens agnoscam, scri-

ſcriptiunculæ tamen hujusce tenuitate, quam ſilentio, peccare malui, pius & gratus eſſe, cum diſerto mihi eſſe non liceat, geſtiens. Nec dubito, Lectores meos, qui olim a me deſcripta inſtructiſſimæ Illius Bibliothecæ memorabilia ſerena fronte exceperunt, a me expectare, & jure quodam ſuo efflagitare, ut iſthoc officio pios Viri Summi manes proſequar. Præſtabo itaque id pro virili, & plano quidem ac ſimplici dicendi genere, cum phaleratis laudibus haud indigeat Vir, omne præconium virtute ſua longe ſupergreſſus.

Gloriatur tanti Viri natalibus florentiſſima Sueviæ noſtræ civitas, Ulma, felix illa multorum eruditorum mater & nutrix, ubi anno ſuperioris ſæculi tertio ſupra ſexageſimum d. 4. Sept. natus eſt, ut ſcilicet urbs, tot Maronibus fœcunda, e gremio ſuo etiam Mæcenatem ederet. Et quanquam alieno ſplendore haud indigebat, cui proprium ſuffecit decus: maxime tamen honorificum Ipſi eſt, originem duxiſſe e familia, non heri demum, aut nudius tertius, ſed a multis retro ſæculis equeſtri dignitate ornata, ac plurimorum & Arte & Marte illuſtrium Virorum genitrice, quæ præterea ab ipſa virtute nomen ſuum accepit. Cum enim, qui

qui hodie Kraffiones audiunt, antiquitus de Steg appellarentur, eorum quidam olim in singulari certamine pro gentis suæ honore instituto ad singulos ictus hosti fortiter illatos, verba, *Hie Krafft, da Krafft*, ingeminans, victoria strenue reportata, nomen hoc & sibi & posteris in pugnæ illius & virtutis suæ memoriam vindicavit (†). E tot autem generosa hac stirpe prognatis Heroibus, toga sagoque illustribus paucos exempli causa heic producam, qui gloriam meritis suis partam ad posteros transmiserunt. Fuit inter eos Imperatoris Alberti I. Cancellarius, & fundator Ulmensis Cœnobii Prædicatorum, qui A. MCCXCVIII. mortalitatem explevit. Quum Ulma sub Imper. Ludovico Bavaro Abbatis Divitis Augiæ jugo omnino liberaretur, Krafftiorum unus Consulis munere gloriose fungebatur. Anno MCCCLXXVII. Ludovicus Krafftius, itidem Consul, quum Summum Templum Ulmense, stupendum plane opus, immensis sumtibus extrueretur, primum lapidem posuit. In aula Imper. Friderici IV. A. MCCCCLXXIII. versabatur Jacobus Krafft, miles & Legatus Sigismundi, Ducis Austriaci. Emi-

(†) Vid. Mart. Crusii Annal. Suevic. Lib. VII. Part. III. f. 427.

ci. Eminuit etiam inter veritatis teſtes ante repurgatam a priſtinis ſordibus Luthero miniſtrante eccleſiam D. Ulricus Crato vel Krafftius, idolorum cultum & indulgentiarum abuſum publice magna animi fiducia reprehendens, ac vel hoc nomine D. Jo. Gerhardi, Theologi Summi, judicio immortali gloria digniſſimus: Sicuti & Joannes Krafftius vocationem primi Evangelici in Eccleſia Ulmenſi Doctoris Conradi Samii, atque ipſum adeo laudatiſſimum reformationis opus ſtrenue promovit. Sed, ne prolixior ſim, ad proximiores beatiſſimi Conſulis majores accedo. Proavum habuit Joannem Ulricum Krafftium de Dellmenſingen, oppidi Geislingenſis in ditione Ulmenſi Præfectum, qui antea rebus fortiter geſtis in Turcarum manus incidens, in trienni captivitate diriſſimam ſortem expertus eſt, cujus in memoriam adhuc generoſiſſimi poſteri tunicam, qua eo tempore uſus fuit, qualibusque barbari illi mancipia ſua amicire ſolent, ſervant. Avum veneratus eſt Raymundum de Krafft, ejusdem oppidi Præfectum, Parentem vero Joannem Conradum de Krafft, longe meritiſſimum Reip. Ulmenſis Duumvirum, quæ ſumma in illa dignitas eſt. His majoribus ortus primis

ſtatim

ſtatim tenellæ ætatis annis oſtendit, ſe gloriam avitam non tuiturum duntaxat, verum novo etiam ſplendore amplificaturum. Licet enim ab ipſis incunabulis tenuiſſima fuerit valetudine, in puero tamen jam emicuit mira ingenii docilitas, rarus diſcendi ardor, celſaque animi indoles, ut jam tum, quantus olim futurus eſſet, manifeſte polliceretur. Nec defuerunt Generoſiſſimi Parentes vegeto unici & optimæ ſpei Filii ingenio, ſed illud fidis atque idoneis informatoribus magis magisque excolendum permiſerunt, ſucceſſu quidem ita auſpicato, ut annum agens ſeptimum, quo tempore alii crepundiis potius quam libris delectantur, in tertiam Athenæi patrii claſſem qui locaretur, dignus fuerit habitus. Æquum nempe erat, ut mature inciperet, cui grave penſum mature abſolvendum fuit. Creſcentibus annis crevit & proficiendi ardor, eaque in literarum ſtudiis cepit rariſſimæ indolis adoleſcentulus incrementa, ut A. MDCLXXVII. d. XXVIII. Oct. ſeptimæ tum Claſſis diſcipulus, vel inſigne potius ornamentum, dirigente Viro Clariſſimo Eberhardo Rudolpho Rothio, Gymnaſii t. t. Conrectore & Profeſſore publico, ἴῳ νυν ἐν ἁγίοις, publice de vita &

rebus geſtis Alexandri M. judicio ſuo interpoſito non ſine magno Auditorum omnis ordinis adplauſu verba facere valuerit. Anno autem MDCLXXX. menſe Majo, ad publicas Gymnaſii lectiones antea jam rite promotus, ſub moderamine Viri eruditiſſimi, & itidem jam dudum cœlitibus adſcripti, Joannis Frickii, verbi divini, dum viveret, in ſummo Templo Miniſtri & Logices Prof. Publ. ſolennem diſputationem de demonſtrationibus in diſciplinis practicis ita tuitus eſt, ut omnibus eximiam ſolertiam ſuam ac feliciſſimos in literarum ſtadio progreſſus mire probaverit. Poſthæc ad altiora enitens in celeberrimam Academiam Tubingenſem Deo duce conceſſit, ibique novo indefeſſæ ſuæ induſtriæ ſpecimine inclaruit, habita nimirum A. MDCLXXXIV. menſe Novembri feliciter ſub præſidio Juris Conſulti conſummatiſſimi D. Ferdinandi Chriſtophori Harprechti diſputatione de Cautione juratoria. Inde in famigeratiſſimas Academias Heidelbergenſem & Argentoratenſem abiit, ac utrobique aliquandiu commoratus, augendis ſcientiæ, quas jam conquiſiverat, opibus peregrinationem in Galliam ſuſcepit, & perluſtrata præſertim eruditis ac perſpicaci-

bus

bus oculis Parifiorum Lutetia, pulcherrimo illo Galliæ compendio, per Lugdunum & Genevam in Helvetiam fe contulit, unde patriam & lares in tranfitu tantum falutaturus Viennam adire, ibique, ut multiplicibus experimentis fe confirmatiorem redderet, Auguftiffimæ potiffimum Aulæ Cæfareæ res penitius cognofcere meditabatur. Sed aliter placuit provido Numini, iter illud alii tempori refervaturo. Vix enim omnigenæ doctrinæ fpoliis onuftus ad fuos ipfo emortuali Anni MDCLXXXV. die redierat, cum Patres Confcripti fingularibus Ejus dotibus permoti in ipfo viridi vernantis ætatis flore conjunctis fuffragiis Noftrum in confiliorum curarumque partem affumerent, ac in Ampliffimum Ordinem Senatorium Anno MDCLXXXVI. d. 19. Febr. cooptarent. Ita nempe annis quidem juvenis, fed prudentia, gravitate & experientia fenex, dum virtuti maturus effet, fatis etiam honoribus erat maturus. Jure fuo illud poëtæ in ifthoc ævi fui vere ufurpare poterat:

Mento canefcant alii, nos mente: capillo,
Nos animo: facie, nos pectoro: tempora certe
Virtutem non prima negant, non ultima donant.

In ſplendido autem illo gloriæ theatro poſitus creberrimam nactus eſt occaſionem excellentes naturæ dotes, quas ſolerti induſtria, prudentum conſuetudine, eruditiſſimorum & πολιτικοτάτων ejus ætatis Virorum inſtitutione, ſcitaque peregrinatione inſigniter adauxerat, in lucem & conſpectum cunctorum proferendi, ac ſcientia ſedulitate parta, ingenioque quarumvis rerum capaciſſimo, in commune patriæ bonum utendi. Haud ergo ulteriora tantæ virtuti meritisque tantis deerant honoris præmia, quæ tamen omnia ita in Eum collata ſunt, ut dubium ſit, num e dignitatibus & muneribus ampliſſimis, quibus ſingulis dexterrime perfunctus eſt, majorem gloriam ceperit, quam Ipſe iis fœneratus fuerit. Ita A. MDCLXXXVIII. d. 1. Aug. rei piſcatoriæ Præfectis adſcriptus eſt, A. MDCXC. d. 12. Aug. ædium privatarum & incendiorum curam ſuſcepit, Judicio præterea matrimoniali admotus, A. MDCXCVII. d. 12. Aug. rerum tutelarium, & A. MDCXCIX. d. 8. Aug. ædificiorum publicorum & rei lignariæ curatio ipſi credita: Anno autem MDCC. d. 10. Aug. in Judicii inferioris conſeſſum receptus, & d. 10. Dec. Sacrorum Ædilium Collegio inſer-

insertus: porro A. MDCCVII. d. 12. Aug. superioris Judicii Assessor & Xenodochii Curator constitutus, insuperque d. 16. ejusdem mensis rerum, quæ ad opificia spectant, administratio ei commissa est: dein A. MDCCVIII. d. 10. Aug. Reip. Quæstor factus & A. MDCCXXI. d. 9. Maji in secretiorem Senatum evectus, simulque rerum territorialium Præsidibus annumeratus, ac tandem d. 8. Augusti Consul, maximo suo merito, creatus est. Ultra hæc vice plus simplici Reip. patriæ nomine Circuli Suevici conventibus interfuit, ablegatus etiam tam ab Ulmensibus suis, quam aliis civitatibus & Statibus prægravatis ad Serenissimum Würtembergiæ Ducem, Reverendissimos item Illustrissimosque Episcopos Constantiensem & Augustanum, immo ad ipsum quoque Augustissimum Imperatorem de maximi momenti causis, quas mira dexteritate expedivit Vir non inter cives tantum suos & exteros quoque venerabilis, sed ipsis etiam in celsissimo dignitatis apice locatis gratus & amabilis. Sponte insuper sua Augustam Vindelicorum & Francofurtum ad Mœnum profectus est, ut illic Imperatoris Josephi gloriosissimæ memoriæ, hic autem, una cum Genero-

ſiſſimis Filiis, Auguſtiſſimi Caroli VI. Imperatoris, quem Deus amet, ac æternum ſoſpitet! coronationis ſolemnibus curioſus ſpectator adeſſet.

Ut autem tantus Vir non ſine nominis ac virtutum hæredibus eſſet, provida ſupremi Numinis cura animum Ejus ita diſpoſuit, ut A. MDCXCII. d. 12. Sept. matrimonio cælibatum permutaret, in thori ſocietatem optimis ominibus adſcita Virgine MARIA PHILIPPINA, Generoſiſſimi Domini MARCI ANTHONII BESSERERI de THALFINGEN Filia, non ſuis modo, ſed & antiquiſſimæ proſapiæ laudibus prælustri, quacum ad ſuprema usque fata ſuaviſſime & ſine querela vixit, eque Ea decem tenerrimi amoris pignora, ſeptem Filios ac tres Filias ſuſcepit; quinque autem ex iis Filios cum Filiarum una, ſpei ſuæ in terris ſubductos, graviter doluit. In luctus præſertim acerbiſſimos animum dedit ob prææmaturam mortem Filii primogeniti maximæ exſpectationis JOANNIS CONRADI, qui Jenæ A. MDCCXIV. in vigentiſſimo ævi ſui flore & medio ad gloriam curſu febris maligni vehementia mortalium cœtui & Generoſiſſimorum Parentum ſpebus præter omnem opinionem ereptus eſt,

cum

cum vultus Ejus roſeus & vigore plenus, robuſtusque totius corporis habitus intemeratam valetudinem & extremam ſenectutem polliceri videretur. Superſtites ſunt præter binas Filias, ſui & ſexus & generis ornamenta, Filiorum duo, MARCUS ANTONIUS & RAYMUNDUS, avitam generoſiſſimæ proſapiæ gloriam ſtrenue tuentes, paternæ eruditionis, amoris in literas, & literatos, cæterarumque eminentiſſimarum virtutum ex aſſe hæredes, Ampliſſimo Senatorum Ordini in Rep. patria pridem adſcripti, & aliarum præterea dignitatum fulgore ſplendidi, quos propitium Numen in ſeros usque annos Reip. florentiſſimæ, quam ornant, & Orbi literato ſervet ſoſpites! Ex auſpicatiſſimo Generoſiſſimi Filii natu majoris, MARCI ANTONII conjugio Nepotes tres, lætus conſpexit, quorum unum prævium ad æternam beatitudinem migrare vidit, binis per Dei gratiam ſuperſtitibus in avitæ gloriæ ſpem alacriter jam ſuccreſcentibus.

Cæterum uti Virum Maximum a teneris mirum librorum ſtudium tenuit, ita nulli parcens induſtriæ copioſam inſtruxit Bibliothecam, libris & optimis & rariſſimis, cum manu exaratis, tum typis exſcriptis, ſuper-

bientem, cujus memorabilia olim in tertio & quarto opellæ hujusce fasciculis, Perillustri Possessore gratiose annuente, enarravimus, & nonnulla quoque ex illo thesauro κειμηλια publici juris fecimus. Libris vero suis, haud sumptuose minus quam studiose conquisitis, non tam in cœnaculi & musei ornamentum, quam in dulcissimum animi, insatiabili literarum cupiditate flagrantis, pabulum ipsis etiam ætatis ingravescentis annis stupendæ plane diligentiæ Vir usus est, ut & illi conveniat, quod Magni Gerh. Jo. Vossii imagini Caspar Barlæus adscripsit:

Et puer, & juvenis chartis impalluit, & Vir,
Et nunc non alium se cupit esse Senem.

Omne tempus, quod ipsi ab administranda Republica supererat, in sedula eorum lectione & conversatione cum eruditis, quos ad se adventantes humanissime & obviis veluti ulnis excipere solebat, lætus consumsit, gaudia inde nata omnibus aliis deliciis longissime anteferens. Nec a literis, amoribus quippe suis, avelli Vir φιλοβιβλωτατος potuit cura valetudinis, quum corporis viribus jam fere exhaustus esset, excelsæ mentis vigore adhuc illibato gaudens.

dens. Ipse præsens miratus sum & obstupui, cum Experientissimus quidam Medicus Illi vix persuadere posset, ut corporis movendi causa crebrius in hortum, pone domum, quam inhabitabat, situm, deambularet, vel curru etiam extra urbem per amœna camporum vireta frequentius se vehendum curaret. Scilicet cum Plinio omne tempus perire arbitrabatur, quod literis non impenderet. Consulis nostri pie defuncti eadem vox erat, quæ olim Tullii, disertissimi Romanorum Consulis: *Me autem quid pudeat? qui tot annos ita vivo, ut a studiis nullo me unquam tempore aut commodum aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique somnus retardarit. Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi jure succenseat, si, quantum cæteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad voluptates, & ad ipsam requiem animi & corporis conceditur temporis, quantum alii tribuunt tempestivis conviviis, quantum denique aleæ, quantum pilæ, tantum mihi egomet ad hæc studia recolenda sumsero?* Hac industria & ingenii præsertim felicitate factum, ut in omni re literaria versatissimus & vere Polyhistor esset, ipse spirans Bibliotheca,

ambulansque Museum. Præstantissimum vero suum thesaurum librarium non sibi soli servavit, sed quibuslibet etiam bonis, ac dulces ante omnia Musas colentibus patentem voluit Vir, ad laudabiles aliorum conatus juvandos, ac rei literariæ pomœria provehenda propensissimus. Debet Mæcenati nostro Orbis eruditus Annales Spalatinianos, quos Vir eruditionis & meritorum gloria illustris, D. Jo. Burchardus Menkenius, ex Ejus bibliotheca in nova, eaque optimæ frugis plena, Scriptorum rerum Germanicarum & Saxonicarū præcipue, collectione luci publicæ primus exposuit. Debet optimam & emendatissimam Speculi Suevici sive Juris provincialis Alemannici, editionem, quam Vir Juris Consultissimus & antiquitatum Germanicarum longe peritissimus D. Jo. Georgius Scherzius ꝭ quantivis pretii Codice membranaceo gazophylacii Kraffitiani potissimum in secundo Thesauri Antiquitatum Teutonicarum Schilteriani Tomo exhibuit. Debet quamplurima documenta ad historiam Reformationis illustrandam facientia, quibus in lucem emittendis obstetricantem manum feliciter præbuit multæ eruditionis celebrisque famæ Vir, Jo. Erhardus Kappius. Debet & alia, ac in posterum quoque debebit plura, cum præter alias insignes

insignes dotes & propensissima in literas ac literatos voluntas a tanto Parente in Generosissimos Filios derivata sit.

Reliquis Viri per omnia Summi virtutibus recensendis supersedeo, memor illius, quod de Thalassio Ausonii genero Q. Symmachus pronunciavit: *Si parce morum ejus decora attingam, liventi similis existimabor: si juste persequar, ero proximus blandienti.*

Id ergo unum restat, ut ad ultimam vitæ gloriose actæ catastrophen calamum, trepidantem jam & resilientem, convertamus. A primis, quod ajunt, unguiculis ὁ μακαρίτης debiliori aliquantum corporis habitu erat, morbo haud uno impetitus. Efflagitabat, Medicis ita judicantibus, necessitas, ut inaudito fere exemplo septimo jam ætatis anno in tenello ejus corpusculo variolæ venæ scissione provocarentur. Per omnem vitam ob tenuissimam valetudinem singulari diætæ medicæ, quam maximam partem, multis experimentis edoctus, nec minus artis salutaris, quam aliarum scientiarum peritus, sibimet ipse præscripsit, obnoxius fuit, atque hac ratione ac divina præsertim secundante providentia, quæ felici tot gravissimarum rerum expeditioni in patriæ decus ac emolumentum Eum destinaverat, ad ætatem satis provectam pervenit. Tantis autem laboribus, tot itineribus vires cor-

poris

poris ſenſim fractæ atque attritæ, ac tandem penitus, morbo præſertim, quo anno ante beatum obitum graviter conflictatus eſt, in cachexiam pituitoſam degenerante, proſtratæ ſunt, licet nullis ſumtibus, nulli operæ & curæ parceretur, ut natura paulatim ſuccumbens exquiſitiſſimis remediis refocillaretur. Imminebat jam ſuprema hora, qua corpus exhauſtum in placidam quietem recipiendum, animus autem φιλομαθεςάτος Deumque anhelans in collegium cœleſte, cujus ſinguli cives ac ſodales ſunt πάνσοφοι, divino nutu evocandus erat. Eam Heros noſter ingreſſus eſt plenus fiducia ac mente imperterritus, die, emortualem proxime præcedente, ſacro epulo refectus atque tum, quod luculentum animi in enervi corpuſculo adhuc vigentis & infracti indicium eſt, peccata Latino carmine confeſſus. Itaque vitæ & gloriæ ſatur quicquid mortale habuit, depoſuit, immortalem vero ſpiritum optimò Numini pie ac placide ſine motu & metu, precibus lacrymisque Suorum eum comitantibus, reddidit die XVII. Febr. anni hujus poſt horam ſextam veſpertinam, ſexto ſupra ſexageſimum vitæ glorioſæ anno Vir, immortali memoria digniſſimus, cujusque illuſtre nomen æternis annalibus inſeri ſummo jure meretur.

VI. Se-

VI.

Selecta ex Jo. Jac. Thurmii Augustani Diario itineris literarii Germano-Belgici.

FUit Thurmius, cujus quasdam observationes, in itinere ipsi natas, hic exhibemus, rarissimæ indolis juvenis, in ipso peregrinationis eruditæ cursu Lugduni Batavorum A. MDCLXIX. d. 7. Aug. præmatura morte vix vicenario major extinctus, ac patriæ spei ereptus, de cujus vita ac virtutibus B. Gœzii Elogia eruditorum præcocium *(a)* conferri merentur. B. Scherzerus,

(*a*) P. 9. seqq. conf. Jo. Klefekeri Bibliothec. Eruditorum præcocium. p. 376. seqq. Præter Latinum autem, quo juvenem elegantissimum B. Spizelius celebravit, elogium, a Gœzio l. c. repetitum extat etiam Germanico sermone *Joh. Jac. Thurms seelige Abreise aus Leyden in Engelland an seine hochgeehrte und hertzbetrübte Eltern beschrieben von Gottlieb Spizeln.* Aug. Vind. A. 1670. in 4. Iter enim tum e Belgio in Angliam meditabatur pius juvenis, sed placuit supremo vitæ necisque arbitro in patriam cœlestem eum evocare.

zerus, Theologus olim Lipsiensis famigeratissimus hoc eum epicedio prosecutus est:

Inclutus ingenio variaque subactus in arte
Annis major erat Thurmius ipse suis.
Imberbis juvenis senibus vix nota sciebat:
Ultima quid mirer fata putasse senem?

Haud igitur ingrata fore lectoribus meis spero, quæ ex ejus itinerario, quod manu exaratum penes me est, decerpsi.

* * *

Helmstadii visitavi Saubertum Hebr. L. Prof. Publ. cum quo in agitationem controversarum tunc cum Wittenbergensibus quæstionum descendi, de cognitione mysterii Trinit. in Vet. Test. de necessitate bonorum operum ad salutem, de fundamento fidei etiam in Religione Pontificia & Calviniana integro, in quibus cum Helmstadiensibus sentire videbatur, quanquam ægerrimæ in tales controversias se descensurum, suoque sub Decanatu Theologico, quem mox auspicaturus erat, nihil vehemen-

mentiorum ſcriptorum proditurum diceret. Cum de ſalvo fidei fundamento differenti ſcandaloſiſſimum id eſſe opponerem, multosque eà ſententia ad pontificias partes pertractos dicerem, reſpondit: ſcandalum id eſſe acceptum; quanquam enim id docuerit Calixtus, docuiſſe tamen, contra conſcientiam peccare eum, qui deſerta Eccleſia puriore tranſeat ad Eccleſiam, pernicioſiſſimis abuſibus & craſſiſſimis erroribus deturpatam. Devoluti etiam ſumus ad res philologicas, qua occaſione duos characteres Ebræorum Codicum ab eo didici, antiquiſſimorum quidem, quod viciſſitudine perpetua verſiculorum pure Hebraicum ſequatur Chaldaicus, in uſum ſcilicet captivi inter Judæos populi, Chaldæoque idiomati aſſuefacti, minus tamen ſat antiquorum, quod notæ maſoreticæ ita ſint conſcriptæ, ut varias animalium repræſentent figuras, qualem codicem vidi in Bibliotheca Electorali Dresdæ. Regulas circa ſacram accentuationem a Bohlio, Ledeburio, Waſmutho formatas non univerſales, adeoque nec ſatis firmas eſſe dicebat.

Viſitavi quoque D. Titium Theologum, cum quo diu de rebus Auguſtanis confabulatus ſum, antequam ad diſcurſum aliquem

quem theologicum transgressio fieret: facta tamen tandem est, cum ad historiam Reformationis superioris sæculi respiceremus, quod schisma factum esse ipse ægre ferre videbatur; mitiorem majoribus animum quam nobis fuisse dicebat, ipsi quoque Luthero: producebat loca ex præfatione Aug. Conf. quibus dicitur, nos sub uno capite Christo militare, sic tamen per divinam providentiam factum esse, ut puniretur nimia tyrannis totius Cleri passim sub specie jurisdictionis ecclesiasticæ invecta; obfirmasse exacerbatos animos Concilii Tridentini Παποπνευςα anathemata, in quo tamen caute processerint Patres, dum v. g. omiserunt decisionem de primatu Rom. Pont. Producebat hujus discursus occasione locum ex Hulsemanni Breviario de Pont. Rom. *Concedamus*, inquit, *Pontifici Rom. primatum omnium Episcoporum totius orbis.* Conferebat cum loco Calixti præfat. ad Lect. Epist. Augustini. Quo fine, facile subodorabar. Subinnuere scilicet voluit, damnari Calixtum Wittebergæ & Lipsiæ ob tales propositiones, quas etiam docuerit Hulsemannus. Sed magna sane tunc statim apparebat mihi diversitas. Hulsemannus enim agit de notis AntiChristi, ibique

ibique dicit, conceſſum illum primatum Papæ non eſſe notam Antichriſti: Calixtus autem dicit, jure humano primatum competere Papæ, ut antiquiſſimæ Eccleſiæ Apoſtolicæ in Occidente Epiſcopo.

NB. Ciceronis de bello civili Cæſaris & Pompeji judicium apud Sleidanum de Imper. p. 103. applicari poſſe videtur, mutatis mutandis, ad bellum, quod nunc ardet, Calixtinum: *Si aliquid de ſumma gravitate Pompejus* (Calovius), *multum de cupiditate* (novitatum in ſententiis & formulis parum fructuoſarum) *Cæſar* (Calixtus cum ſuis) *dimiſiſſet, & pacem ſtabilem, & aliquam Rempublicam* (Eccleſiam tranquillam) *nobis habere licuiſſet.*

Viſitavi Schraderum Prof. Publ. cujus opera vidi Bibliothecam Acad. Helmſtad. in qua quidem non adeo magna eſt librorum ſupellex, ſunt tamen, quæ videri mereantur, ut מגילות תורה, MS. Pentateuchi, ante natum Chriſtum exaratum, pro quo Judæus 6000. thaleros reddere voluit, Magdeburgo huc translatum; eſt autem non punctatum figura literarum eleganti ſatisque magna conſpicuum. Liber Malabari-

cus, in quo literæ palmis ſubtilibus inciſæ: ejus delineatio in Mandelslo quoque reperitur. Adeſt egregia ſupellex librorum Rabbinicorum, adſunt effigies Caſelii, Hofmanni, Horneji &c. De MS. Homil. Chryſoſtomi Conringius Bibl. Aug. p. 96.

Viſitavi quoque Frid. Ulr. Calixtum, cum quo maxime de rebus in Italia geſtis colloquia miſcui; narravit, quibus honoribus a Cardinalibus, Palotto præcipue, fuerit affectus, ad quem curru accerſitus cum duobus Jeſuitis de Religionis noſtræ dogmatibus diſputationem habuerit, omnem ipſi metum excutiente Cardinale, cum ſemet ſcire, quo in loco eſſet, diceret, libere modo, quæ ſentiat, loquatur. De Ranzovio Apoſtata narrabat, quod ſibi de motivis apoſtaſiæ ſciſcitanti confeſſus fuerit, a Luca Holſtenio ſemet in Italia convictum, ſeque imparem agnoviſſe ad diluendas objectiones ab Holſtenio prolatas.

Delabebamur quoque *(b)* ad diſcurſum de Frommio Apoſtata, quem Cellarius ut hominem peſſimi ingenii depingebat, qui ſuis non tantum conſiliis turbavit Eccleſiam Lutheranam in Marchia in gratiam Calvinianorum-

(*b*) Notaverat ὁ μακαρίτης ante hæc quædam alia e ſermonibus D. Balthaſ. Cellarii, Superint. Helmſtad.

nianorum, sed postea etiam desertor Calvinianorum Wittebergam ad Lutheranos transiit, quibus etiam per Epistolas à Stoschio editas suspectus factus, cum præcipue in subscriptionem cujusdam Reversus, antequam ad munus Superint. Eisenbergæ promoveretur, consentire nollet. Fovisse ipsum Calvinismum, etiam ex actis cum docto, nec in Theologia rudi, politico Kanstein patet, qui ex ipsius concionibus Berolini dubia concepit, quorum solutionem à Frommio postulavit, qui in datis ad ea responsis tuetur inter alia gratiam universalem, ita tamen, ut peculiaris gratiæ gradus electis sit proprius. Hæc à Cellario, qui totam illam Politici cum Theologo disputationem Facultati Theologicæ in Julia propositam dixit, ad cujus judicium de heterodoxia Frommii noluerit ipsum amplius Frommium pro Confessionario habere.

Conringii fui Consalinus, ex cujus discursibus hæc: Salmasius in materia de alienatione in mutuo Adversarium nactus est Cyprianum Regneri, quem sub nomine Alexii de Marsilia deridendum publice proposuit. Salmasio quoque magnas cum Heinsio intercessisse æmulationes &c. Pri-

vatos aliquando cum Conringio ſermones miſcui, ubi querelas de afflictiſſimo Eccleſiæ noſtræ ſtatu movebat, Wittebergenſibus, qui turbent Eccleſiam, indignabatur; ſemet, ſi imputata Helmſtadienſibus crimina vera forent, ad prorependum Helmſtadio paratum eſſe; Calixti authoritatem tantam ibi non eſſe docebat; objeci Conſenſum. fundamentalem trium Religionum, qua in re me remittebat ad ſuam in Caſſandrum præfationem. In hiſtoriis Eccleſiaſticis ſuadebat ad fontes ipſos, Patres ſcilicet, recurrerem. Differebat aliquando de Colonienſibus, qui impudenti vehementia libertatem Reformatæ religionis amiſerunt; dicebat Eccleſiam ſub cruce per patientiam creviſſe, etiamſi ad reſiſtendum ſatis multi, potentesqúe fuiſſent, occidi tamen maluiſſe. Ad horum exemplum,ajebam,non conformarunt ſe Proteſtantes, vim vi repellere conati. Citra ſeditionem id factum reſpondebat, Imperatorem enim Monarcham non eſſe, quippe qui ſuffragia colligat, adque votorum pluralitatem alligetur.

Differebat de Urbibus Imperii, Coloniis Romanis, qualis Auguſta. Duumviros ibi ad imitationem Conſulatus Romæ inſtitutos, ob reverentiam tamen urbis ab titulo

tulo

tulo Consulum, abstinere solitos. Welserum sæpè mirum in modum commendabat. Id tamen quoque didici, Conringium jucundius, & fructuosius legi, quam audiri; sæpè enim minori studio se ad discursus publicos in lectionem publicam paravit, sæpe fiducia eruditionis, quam omnino habet maximam, aliquid pro authoritate decernere videtur, aliorum rationes aspernatus. In scriptis autem ipsius magna apparet diligentia, & solidissima plerumque veritatis discussio. Visitavi quoque Meibomium, Medicum, virum, & insigniter affabilem, & supra mediocritatem doctum, gaudet egregia Bibliotheca, libris medicis, historicis, atque philologicis abundante. Discursus nostri maximam partem historici de rebus Anglicis, & Batavis. In Lingua Anglicana addiscenda non incommodum sane videbatur ejus consilium, ut scilicet Comenii quis sibi procuret januam linguarum, ex qua possit vocabula usu discere, legat postea vel Biblia, vel alium quendam librum Anglicum in vernaculam suam translatum, quâ collatione fieri possit, ut mediocriter Anglorum linguam assequatur; à via eam discendi per grammaticam abhorrebat. Ostendebat aliquos libros illustris

Regii Collegii experimentalis curâ elaboratos. De Schokio narrabat, quod cum Atheismi incusasset Cartesium, graves sibi Cartesii fautores invenerit, à quibus in angustias redactus dixerit, suum esse stylum, res ipsas Voëtii in methodo Philosophiæ Cartesianæ, quod tamen totum Voëtius negaverit; factum aliquando esse, ut Groninga Ultrajectum proficisceretur, ubi per 14. septimanas à Cartesii Fautoribus arresto, quod ajunt, detentus sit. Hæc forsitan movere potuisse Schokium, ut in Germaniam, Batavis desertis, semet conferret.

In Bibliotheca Augusta, quæ in Arce Gvelferb. asservatur, observavi, nimio interdum labore totos librorum titulos descriptos esse, additis etiam iis, quæ nec ad rem, nec ad declarandum Scriptoris propositum faciunt. Incomparabilis adest thesaurus Manuscriptorum, Historicorum præcipue, ex quibus reconditissima quæque in Germaniâ præcipue depromere possis. Incidi in Chronicon Augustanum, superioris potissimum Sæculi Manuscriptum.

Brunswigæ visitavi tunc Superint. Bucholzerum, cum quo colloquia miscui de statu Ecclesiæ Brunswicensis, qui, ut dicebat, bene constitutus est. Numerus Mini-

stro-

ſtrorum Eccleſiæ ad 16. usque extenditur, ſi annumeres Superintendentem, & ejus Coadjutorem. Singulis 14. diebus Colloquium Eccleſiaſticorum conventuale habetur, in quo decernuntur, & diſcutiuntur, quæ ad Eccleſiam ſpectare videntur. Prudentiſſimum tunc inſtitutum in moderatione uſus Epanorthotici intellexi. Cum enim de facinore quodam, quiscunque etiam ſit peccator, inaudiri aliquid cœpit, id, ſi magni ſit momenti, non eſt pro Concione redarguendum, niſi in Colloquio ſolenni eâ de re actum fuerit, & niſi prius ex Colloquio Eccleſiaſtico duo ad reum miſſi fuerint, nomine totius Collegii, coram quibus ſeſe de intentato crimine purget, niſi publicam redargutionem inaudire velit; ſi autem res minoris ſit momenti, non niſi tamen Conſilio Superintendentis Epanorthoſis exerceri debet, nec niſi privatim reus à Confeſſionario admonitus fuerit. Ad tranquillitatem Eccleſiæ tuendam non licet publicè pro cathedra ventilare controverſias inter Wittebergenſes, & Helmſtadienſes ſubindè agitatas. Inique alias ſententias Helmſtadienſium exponere Wittebergenſes conqueſtus eſt Bucholzerus. Idem putabat Calixtum, quem antea Calovius quoque

magni fecerit, tot errorum suspectum factum esse in Colloquio Thorun. in quo cum Theologis Electoris Brandenburgici Reformati sese conjunxit, non in punctis, quod ipse protestatus, Calvinianorum propriis, sed in punctis Protestantium communibus contra Ecclesiam Romanam, quanquam hoc obtenderet Calixtus, & diceret, se non videre, quomodo culpari posset, si quis Judæo in unitate Dei defendenda se contra Paganum adjungeret, quomodo exinde Judaismi suspectus factus fuerit. &c.

Hanoveræ visitavi Capucinos, quorum numerus tunc erat duodenarius; quærebam de statu & sustentatione. Responderunt, se sustentari à Principe, cum reliqui incolæ quid sit panis propter Deum ignorent; dicebam, id Lutheranorum esse axioma: Ora, & labora, &c. Responderunt, nec sui ordinis homines sine labore esse, operam dare studiis, ut docere populum, & consolari possent. Multa jactabat de spirituali sua in miserrimo statu lætitia, conculcatione vanitatum post degustatas seculi voluptates, &c. consecuturam hoc certamen insignem coronam.

Hamburgi vidi templum, quod dicitur novum &c. Concordes sic satis Ministri

Eccle-

Ecclesiæ vivunt, & quamprimum aliquid difficultatis suboritur, unus alterve Collegarum semet interponere solet. Cum aliquid majoris momenti est, quod meditantur Politici, & ad judicium Theologicum pertinere videtur, unanimiter pro suggestu ex decreto Collegii Ecclesiastici singuli redarguunt; sic eo, quo Hamburgi fui tempore, Judæi pro Synagogâ sua penes Senatum laborabant, Senatus facilior, quam par erat, fore videbatur, hinc ex singulis cathedris die Dominico contra Judæos, eorumque Synagogas peroratum est. &c.

Sæpe Hamburgi conveni Ezardum, qui vir est in literis Hebraicis, & Rabbinicis versatissimus, & ubi in Studiosum Linguæ Sanctæ incidit, ad informandum, & inserviendum promtissimus, nec non, nisi me omnia fallant, eximiæ pietatis. Meditatur conversionem Judæorum, cujus spem ex multis Scripturæ locis concepit, ostenditque hac de re locum egregium in Postilla Lutheri ad Evangelium die S. Stephani anno 1543. impressa, quem plane in alium sensum detortum esse oculariter demonstravit, in editione Wittebergensi 1598. post Lutheri mortem excusa. Media ad hunc finem duo dicit, Informationem con-

vertendorum, & ſuſtentationem converſorum. Informationem non ſcriptam, quam Judæi à Chriſtianis plerumque aſpernantur, ſed oralem, per quam coram convincantur. Hanc promovet, dum quosvis diſcendi cupidos vel ipſe gratis informat, vel diſcipulis informandos tradit. Obligatos autem habet ſuos diſcipulos ad gratuitam, pauperum ſaltem, informationem: Suſtentationem promovet, dum pecuniæ ſummas à bonis viris huic rei deſtinatas in libro quodam conſignatas habet, quibus fruantur ad ipſius commendationem converſi noviter Judæi. Ego fateor miratus ſum filiorum, qui 6. 7. 8. 9. circiter annorum fuerunt, magnam peritiam Linguæ Sanctæ. Cum autem hunc finem ſibi propoſitum habeat Ezardus, multa alia ſe declinare dicit, quæ quacunque ratione obſtare, vel impedire ſcopum ipſius poſſe videntur; ſic propterea ſe noluit diffuſo cum doctis viris commercio literario committere, hinc nihil temporis ſcribendis libris impendere, nihil refutationibus adverſariorum exarandis, quod poſterius ſcribendi genus ipſi propterea perniciosum videtur, quod Judæi hinc inde ſint diſperſi, & quod hæreticorum quoque ad hanc rem ſubſidio opus ſit. Bona for-

tunæ

tunæ multa huic viro Deus largitus eſt, cùm hæreditate paterna, tùm cum uxore allata, hinc igitur ſibi, ſuisque literis extra officium hactenus vivit. Cæterum ex diſciplina Ezardi hujus didici ſequentia verba: Audi Iſrael &c. ſic vertenda:

יהוה אלהינו יהוה אחד

unum Dominus Deus noſter Dominus

idque oſtendit ex parallelismo Novi Teſtamenti Joh. 5. *Ego & Pater unum ſumus:* item ex conveniente accentuum diſpoſitione, ubi poſt alterum יי peſik. item ex conſenſu aperto Judæorum in Zohar, R. Bechai, & Aben Eſra &c. obſervat hic אלהינו titulum Meſſiæ competentem eſſe. Conf. Hoſ. I. v. 7. Eſa. 55. 7.

II. Locum 1. Joh. 5. pro SS. Trinitate, quem in exemplaribus vetuſtis græcis quidam cum ipſo Eraſmo negarunt, in terminis allegatum apud Cyprianum de ſimplic. Prælat. p. 214. ed. Frob. ubi obſerva, quod, cum alias Eraſmus ad marginem loca Scripturæ citata annotaverit, hunc tamen locum annotare omiſerit. Conf. Tertullianum. ed. Pariſ. adverſus Praxeam.

III. Malitiam Judæorum ingentem eſſe in corruptione Codicum Sacrorum, ut cum in Pſalmo 22. contra omnem Maſoræ authori-

thoritatem in Basileensi Buxtorffii editione pro כארו legitur כארי In Coheleth in quibusdam exemplaribus pro כוראיך legitur בוראך. Item, quod in Exemplari Pentateuchi Amstelod. in Targum pro עד יתידי fecerint על יתידי.

IV. In Epistolis Angeli Politiani legi Epistolam Mirandulæ, in qua egregia de efficacia Scripturæ verba.

V. Raro fateri Rabbinos suam in Scripturâ interpretanda imbecillitatem, fassum tamen *ἀγνοίαν* suam רש״י ad Ezech. 42. & Levit. 11. de animalium discrimine, ad cujus capitis illustrationem scripsisse Bochartum Hierozoicon. Conf. רדק ad Hos. 4.

VI. עֹרֵב & corvum, & Mercatorem notare. Hinc juxta quosdam Rabbinorum Elias non à Corvis, sed Mercatoribus in deserto pastus. Huc pertinet alicujus apophtegma: Literatorum nutrimentarios sæpe esse ערבים Mercatores, quorum vel sumptibus student, vel filiabus post consummata studia gaudent.

VII. Editionem Majmonidis Venetam antiquiorem meliorem esse, quam recentiorem, in qua non pauca hinc inde omissa.

VIII.

VIII. Epitomen Talmudis Babyl. esse in lib. עין ישראל & כירת ישר Hierosolymitani: hæc duo Compendia instar indicum quasi esse ad inveniendas materias in ipso Talmude comprehensas.

IX. Castellum in Anglia plus præstitisse in editione operis Anglicani, quam Waltonum, cujus magna inde celebritas.

X. Abarbanelem lecturo prodesse Versiones annexas Buxtorffii dissertationibus philologicis, & dissertationibus de Sponsalibus, & divortiis, ej. in Cosri, & Sim. Muis in Var. S.

XI. Imperatorem Romanum Judæos habere pro שׁוֹדֵר de quo Esa. 33. vid. רדק ad loc. cit. init.

XII. Animæ immortalitatem asserere Aben Esram apud רדק ad Esa. 51.6.

XIII. Ad pœnitentiam veram necessariam esse ex mente Judæorum ביר,בפה,בלב. Contritionem cordis, confessionem oris, meliorationem vitæ.

XIV. Pro necessitate usus Epanorthotici facere locum Hos. IV. 5.

XV. De Excellentia Messiæ præ Abrahamo, & Mose, vid. Abarban. ad Esa. 53. fol. 79. de inelaborato ursarum partu רדק ad Esa. 13.8.

In Bi-

In Bibliotheca Hamburgensi inveni libellum, cujus inscriptio: *Tractatulus quidam solemnis de arte, & modo inquirendi quoscunque hæreticos, secundum consuetudinem R. Curiæ, compositus à quodam legali Magistro nostro F. Ord. Præd.* (c) Risu digniorem libellum non facile vidi, plenum barbariei, ineptissimarumque sententiarum.

Est & aliquod Hamburgi institutum, quo singulis diebus lunæ informantur pauperes à Concionatoribus ad S. Catharinam in articulis fidei, singulis diebus ducatum accipiunt Ministri Ecclesiæ, quibus informatione illa per semi - vel horam defunguntur. Sanxit hoc institutum Frenzel, Advocatus olim, postea Senator, qui male parta bona morti propinquus sic dispensavit.

Lubecæ in Templo cathedrali admiranda vidi artis, superstitionis, fraudumque monasticarum monumenta. Artificiosissima erat imago Mariæ virginis, figulina arte ad stuporem confecta. Vivere dicas faciem imaginis, rotari hinc inde oculos, venas,

(c) Vid. hujus opellæ Part. IX. p. 771. sqq. ubi quædam ex illo libello, cujus duplex mihi editio ad manus est, excerpta dedi, ut adeo opus haud sit, heic ea, quæ B. Thurmius inde depromsit, heic repetere.

nas, atque arterias vere extare putes. Manu tenet uvam, ſimul tamen & puellum Jeſum brachiis. Fraudes etiam monaſticas teſtabatur imago Mariæ altari impoſita, quæ faciem avertere poteſt. Traditur hâc uſam eſſe etiam monachos, cum Eleemoſynæ altari imponerentur, quarum ſummam monachus poſt cæruleum vitrum latens videre potuit, ita ut ipſe non videretur. Cum igitur non ad votum ejus erogarentur pecuniæ, Mariæ imaginem circumvertit, ut adverſa fieret tam parco largitori: ſunt & multa alia Lubecæ viſu in Templis digniſſima.

Viſitavi D. Hanekenium Superintend. cum quo de Eccleſia Lubecenſi diſcurſus, ex quo didici (1.) Pontificiis nullam publice indulgeri ſacra faciendi libertatem, cumque ea nimium uteretur Dux Meklenb. Apoſt. Senatum interceſſiſſe. (2.) Reformatorum itidem Cœtibus carere Lubecam; eſſe nunc quidem ibi Calvinianos, nec tamen ipſis indultam hactenus intra urbem, vel extra urbem ſub Jurisdictione Lubecenſi aliquam libertatem: inſtituiſſe quidem in pago aliquas congregationes, ſed ſperari abrogationem. (3.) Vocationem Miniſtrorum Eccleſiæ fieri (α.) per *Kirchen-Vorſteher*, qui ſunt Conſul cum aliis quibusdam ex Se-

ex Senatu. (β.) Superintendens, & quinque Ministri Ecclesiæ. (γ.) duo Cives, qui Diaconi audiunt; & cum aliis in templo Eleemosynas colligere solent. (4.) Quinque principalia esse Templa, reliqua horum quasi filias haberi.

Visitavi etiam Rostochii D. Henr. Mullerum, qui me humaniter excepit: per aliquot horas discursus de variis rebus miscuimus. De Controversiis inter Wittebergenses, & Helmstadienses ferventibus negabat sibi placere consensum Fundamentalem trium Religionum, id tamen fassus in Formula Concordiæ se omnia probare non posse, ideoque etiam in Julia summum gradum assumsisse. Multarum quoque aliarum rerum fiebat mentio. Nec invidus, nec morosus, nec hypocritice pius, mihi quidem videbatur, quorum criminum suspectus nonnullis. Singularem esse communiter ibi dicunt, ut quod abstineat à sumenda pecunia post absolutionem, à conviviorum visitatione, in quibus patiamur ipsum Conscientiæ, & genio suo aliquid indulgere, quid tum? suas forsan habet rationes. Id certum est, quanquam respuat consueta post absolutionem donaria, sunt tamen, qui alia occasione largitiones ipsi offe-

offerunt, quas grato accipit animo. Audivi pro concione in Evangelium: Ego ſum Bonus Paſtor, perorantem contra ſacra, quæ vocant, accidentia, ubi dixit de oblationibus poſt abſolutionem: *Mancher nimmt es nicht, und kommt doch durch: Mancher nimmt es aus noth und beſchwert damit ſein Gewiſſen.* Nec alia ratione, niſi gratuitæ donationis titulo excuſari poſſe aſſeruit.

Kilonii viſitavi D. Waſmuthum, cum quo de controverſia inter ipſum, & Conringium ſermo, & de propagatione literaturæ Hebraicæ; ego nihil eorum coram ipſo diſſimulavi, quæ in ipſius programmate mihi placerent, & diſplicerent: placere certitudinis Scripturæ Sacræ Hebrææ Linguæ neceſſitatis vindicationem, diſplicere autem paſſim inſertas vehementiæ notas, v. g. quod, ubi beſtias Germanicas ἀνεβεάιας ex Luthero dixit, ſubjungat ſtatim Conringii theſin. Reſpondit id ſe ideò feciſſe, ne Conringius planè non irritatus generoſo quodam ſilentio ſuum programma contemneret. Reſpondi, nihil magis optandum fuiſſe, quam ut tacuiſſet ſic enim pro conſentiente habendum fuiſſe. De Anti Conringio ſuo optime ſentiebat

 Waſmu-

Wasmuthus; annui, gravia valde fore Conringio tot Theologorum judicia, quæ si non essent, acriter forsan, & pro vi, qua pollet dicendi proditurus esset. Respondit Wasmuthus se ipsum, si convitietur, ex lege *diffamari* citaturum, quoad causam ipsam vero, ad publicam disputationem oralem, quocunque loco velit: Stylum Conringianum se non extimescere, qui sæpè nec argutiis, nec ingenio ornatus; suum quoque non contemnendum, qui formulis Hebraicis, Græcis, imo & adagiis interdum pulchrior, de quâ Wasmuthi confidentia quidam ejus collega Mauritius judicabat, plus scilicet semper sperare homines de facultatibus suis, quam possint. Id miror, quod commemoravit Wasmuthus, Conringium hanc litem ad Principem detulisse, & fiducia suæ authoritatis vehementer quandoque locutum esse, quæ cum non ex voto succederent, silentio aliquot mensium causam deseruisse. Memorabat, se in eo processu perpetuo Calumniatoris titulo appellatum, propterea puniendum, silentium ipsi imponendum, nisi se graviorem experiri velint.

Consalinus Kilonii fuit (apud Hospitem D. Marge medicum) D. Morhof, J. C. & Poë-

& Poëseos Professor Publicus, vir doctissimus, Physicarum quoque, & Philologicarum rerum studiosissimus, & Dominus Adamus Tribbechovius Professor Historiarum, quem egregia Historiæ S. notitia, & eximia quædam morum suavitas commendat, qui negavit sub Severi Monzambani nomine latere Pufendorfium, ob magnam styli diversitatem, quæ compareat in Scripto de Germania, & in literis secretioribus, & ad fratrem &c. Conringium sub eo latere est persuasissimus. Tribbechovius etiam existimat inter Ceremonias Ecclesiæ veteris & Ceremonias Judaicas, magnam esse harmoniam, v. g. in Templorum extructione, cui opinioni favet illud Augustini: *Synagogam cum honestate fuisse sepeliendam.* Monebat porro magnum studioso antiquitatis subsidium esse Historiam literariam, quinam singulis seculis, & quâ de re scripserint. Ex Recentioribus valde commendabat Mornæum (de Euchar. & Mysterio iniquitatis.) Petavium, Marcam, Forbesium, Usserium, Librum sub titulo: *Flores Patrum*, in Anglia excusum, Dallæum, qui tamen non tam ex antiquis ipsis scripta sua collegerit, quam ex recentioribus composuerit. Monebat de ani-

madversionibus Blondelli Manuscriptis ad Baronium, quod exemplar sit in Academia Leidensi.

Porrò Kilonii visitavi D. Petrum Musæum, cum quo sermo de studio Antiquitatis, quod valde commendabat. Approbabat institutum peregrinandi, cum in Anglia, & Gallia compendiaria nunc sit ad studium Antiquitatis via.

Sleswigæ Bibliothecam vidi instructissimam, & insignem Keimeliothecam. In diversorio memorabilem audivi historiam de Ulenfeldio Daniæ Regis olim Ministro, postea exule; de quo cum fama esset, mortuum, omnes credidere, sola uxor repugnavit, figmentum esse dixit; quo nuncio id sciat, Rex inquisivit; ostendit partem carnis manui suæ ex manu mariti insertam; quamdiu ea sit integra, mortem Conjugis plane fictitiam esse persuasit, denunciandam scilicet eam per carnis illius alienæ mortificationem, & excisionem. In manu mariti ex sua quoque manu particulam esse asseruit.

Visitavi Bremæ D. Cotsakum medicum, quam bonum nescio, pessimum certè Theologum, magna de se opinantem; discursus cum eo varii, præcipue de Canone Scri-

pturæ

pturæ S. cujus absolutissimæ perfectioni multum ille derogabat, dum Revelationum internarum necessitatem ad intelligentiam Scripturæ S. summam esse dixit; doctam nos in mysteriorum cognitione profiteri ignorantiam, blandiente nostræ socordiæ conscientiâ; quibus non interna illa per revelationes illuminatio obveniat, illos ipsos esse in culpâ, dum socordes nimium sint in scrutandis, & meditandis mysteriis, dum non sectentur propheticam sanctitatem, tantum scilicet abesse, ut Deus ipse Revelationum internarum beneficium præcluserit. Contradicebam homini, quasi prophetice, nec sine mordacibus in sacros Ecclesiæ ministros dicteriis peroranti; porro producenti argumenta pro Scripturæ S. perfectione, pro eruendo textu ex collatione Scripturæ cum Scriptura; Respondit, initium perfectionis haberi à Scriptura, consummationem à Revelationibus; quandoque plane in hæc verba erupit: *Quid mihi cum Scriptura?* Quærendam esse perfectionem. Dicenti, esse Theologiam nostram imperfectam ex ipsâ Apostoli confessione; Respondit: id significare, deesse nobis hîc visionem beatificam: Dicenti, Revelationes non esse ex-

pectandas, Diabolum ſeſe in Angelum lucis transformare, & revelationibus nos decipere poſſe &c. reſpondit; nullam ſe citra revelationem habere certitudinem de mente Domini. Dicenti; me fateri hîc malle imbecillitatem humanam, nec Prophetis me aſſimilaturum; reſpondit; ita me tamen non judicare debere de aliis hodie viventibus; eſſe enim alios in alteriori perfectionis gradu, inter gentiles ſæpè Chriſtum tantam fidem reperiſſe, quantam nullibi inter ſuos. Cum non diſſimularem, hanc de ſe perſuaſionem videri mihi quodammodo ſuperbam, negavit, propterea meliorem ſe aliis hominibus judicare. Cum jam ad abeundum præcinctus eſſem, ſurgens ad me dixit: *Nun es mag hingehen, ſo lang ich lebe; aber nach meinem tod wird man erfahren, daſs hier ein Prophet geweſen iſt.*

Viſitavi quoque Kippingium, Collegam ad Scholam Cathedralem, virum Scriptis non incelebrem; excepit me humaniter, nec ſanè vulgaris eſt eruditionis, moribus autem valdè incompoſitis. Varii cum eo diſcurſus, inter alia de Gronovio, quem putabat ex Salmaſio, ejusque diſciplina maxime ſapere, cujus rei veſtigia in editis Sal-

Salmasii Epistolis extare &c. de Studio Linguæ Sacræ dicebat, se istorum studiorum tædium cepisse, seque ea referre inter studia melancholica. Cælibem vitam duxit eo, quo Bremæ fui, tempore.

Gymnasium Reformatorum est probe constitutum, vixque cedit ulli Academiæ, sivè spectes Professorum eruditionem (sunt autem ibi Rector Majerus, P. P. Flokenius, qui & Superint. Wagenfeld, Hypstedius) sivè ædificii, & auditoriorum magnificentiam, sive studiosorum frequentiam.

Visitavi *Groningæ* Bibliothecam Publicam; Ea mediocriter est locupletata, Catalogus librorum erat sub prælo, hactenus non patuit usui publico, brevi autem bis singulis septimanis aperietur. Hunc in finem librorum repositoria quasi sepe sunt cincta, nec ullus ad libros transitus, nisi ex Conclavi Bibliothecarii. Scamna sunt catenis vincta. Manuscripta vidi Isidori Pelusiotæ, Augustini de Civitate Dei; Librum item quo continentur rescripta Pontificum, Episcoporum, Principum: aliqua etiam adsunt Manuscripta Arabica.

Aliquoties Groningæ visitavi Maresium; cum aliquando delaberemur ad discursum de Rebus Gallicis, & Germano-

rum ad oras eas visitandas propensione; dixit, se non diffiteri levitatem suæ gentis, quæ mira sæpe facinora designare soleat, se autem etiam observasse, quod Germani, ubi sibi Gallorum levitatem imitandam sumserint, plane modum excedant, quodque ipsis levissimis Gallis tunc leviores fiant.

Cæterum historiam Controversiarum cum Voëtio à Maresio ipso sic didici: Fuisse scilicet Sylvæ Ducis, ubi olim docuit Maresius, Fraternitatem aliquam Laicorum ad succurrendum miseris, sepeliendum mortuos institutam. Senatui Reformato suspectos evasisse Fraternitatis hujus conventus, ad res novas scilicet moliendas aptos. Igitur Senatum suæ etiam Religionis homines illi Fraternitati S. Mariæ inserere constituisse, ac de eo consuluisse prius Maresium de licito. Maresius id licitum pronunciavit, & sic in eam societatem recepti sunt quidam ex Reformatis. Factum postea est, ut alii ex Voëtio quærerent de licito istius conjunctionis, offensi (sic referebat) quod ipsi non fuerint recepti. Negavit licitam talem conjunctionem Voëtius, publiceque eam redarguit. Quamobrem lacessitus Maresius edidit

edidit suum librum *Ultima patientia* &c. Quo facto vocatus Groningam Maresius, sub cujus Rectoratu contigerit, ut Schokius à Cartesio ob injurias sibi illatas coram judicio Academico citaretur; Schokius se à Voëtio ad tales in Cartesium impetus concitatum dixit, quæ lis, cum sub Rectoratu Maresii agitaretur, & faventior fortasse esset Maresius Cartesio Nationali (nec enim se amicum Cartesio fuisse diffitebatur Maresius,) offensam Voëtii jam patientia irritati incurrit; quæsiisse igitur Voëtium quamvis se lacessendi occasionem, & dictata quædam in Collegio privato de Objecto Prædestinationis in Disputatione quadam sub Voëtii præsidio habita refutata esse, allegatis Maresii verbis non tamen nominetenus citato. Hinc natas cum Voëtio, quippe supralapsario, lites de objecto Prædestinationis.

De Schokio narrabat, Groningam deseruisse, h. m. Habuisse prius uxorem satis dotatam, qua mortua aliam quandam ducere voluisse, viduam unius ex Ordinibus Generalibus, spe largæ dotis, illam ipsi nupsisse spe magnarum divitiarum, sic se invicem decepisse. Postea cum curta esset supellex, sollicitari cœpisse Schokium

à creditoribus; molitum igitur esse discessum, quem occasione Brandeburgica arrepta susceperit: abiisse vero Groninga, non ut resignantem muneri, sed ut ad tempus vocatum à Principe; postea ibi permansisse, ambitione ipsum quoque, & uxore fortassis stimulante. Innotuit autem in Aula Brandeburgica per informationem Sverini Baronis, cujus Parens ibi magna pollet authoritate, quanquam (referebat Maresius) ipsi lites postea cum Sverino intercesserint, utque adeo Sverinus destiterit ipsius patronus esse.

De Cartesio judicabat Maresius, ipsum non alienum fuisse à Reformata religione, nec se dubitare, quin amplexurus fuisset eam, nisi Voëtiana persecutione esset perculsus. Philosophiam ipsius placere, quod egregie, & convenienter suorum (Reformatorum) hypothesibus explicet naturam corporis.

Visitavi etiam D. Altingium, cum quo de studio Hebrææ Linguæ sermo, quod querebatur non florere ex voto suo in Academia Groningana, se enim solum esse ejus promotorem, & esse quoque, qui ipsi impedimento sint, non obscure prætexentes suæ opinioni, deprimi nimis studio Hebrææ

Lin-

Linguæ versionum usum, & authoritatem, quæ tanto pretio constiterint. Dicebam florere nunc sic satis in Germania illud studium, & in Academiis ferme singulis, & Hamburgi per Ezardum, esse quoque nunc Wasmuthum Kiloniensem, qui magno conatu necessitatem illius studii vindicandam susceperit. Quâ occasione Altingius commemorabat, se quoque à Wasmutho ad suffragia contra Conringium vocatum, noluisse autem censere, cum nihil ad se res pertinuerit, ac de re ipsa ex unius tantum partis ore edoctus fuerit. De sua in docenda Lingua Sacra methodo dicebat, rationalem eam esse, omniumque regularum se tenere rationes, ex ipsa linguæ natura petitas, ad eas autem eruendas, Auditorum in Collegio quodam curiositate adductum fuisse; sollicitasse enim ipsos semper rationes mutationis &c. quas cum ipse non à Præceptoribus didicerit, non adeo se promptum semper esse potuisse, dedisse tamen tales, quales optimæ videbantur; hâc occasione se postea ad exquirendas rationes composuisse animum, nunc etiam feliciter invenisse. Deveniebamus ad discursum de significatione particularum, ubi observabat, voculâ כַּמָּה Gen. XV. non tantum promitti con-

ti conditionem ſeminis ratione numeri, juxta explicationem Rom. IV. 18. ſed etiam ratione ûbi, quod ſcilicet ſemen Abrahami futurum ſit in cœlis, quo ſenſu allegari etiam videatur Heb. XI. 10. 13. 14.

Religio Groningæ publica eſt Reformata, ſuos tamen etiam habent Conventus Pontificii per conniventiam. Conventicula Quakerorum turbata ſunt authoritate publica, quæ tunc, cum ibi eram, ut audio, primum deprehenſa; interdicta autem ſunt civibus ſub pœna ergaſtuli. Templa Reformati habent VI. quatuor majora, duo minora, Miniſtros Eccleſiæ novem.

Franequerana Academia paucos tunc aluit Studioſos, qui etiam nullis ibi gaudent Privilegiis, ut ſimilis gymnaſio videatur. Vidi ibi Bibliothecam ſatis inſtructam, hortum Academicum, ipſa etiam auditoria; publicis lectionibus diligentem ibi operam dant Profeſſores, tædioſoque dictandi labore, nec ſe, nec auditores fatigant.

Viſitavi ibi Arnoldum Theologum, ex quo ſtatum totius provinciæ Friſiacæ intellexi.


Viſitavi quoque Schotanum, qui neſcio an quadam naturæ proprietate, an ex conſuetu-

ſuetudine, an ex mei vilipendio, vel alio præjudicio ad nullos diſcurſus ſe diduci paſſus eſt.

Amſtelodami præter orphanotrophæam Noſocomia (quæ tam magnifice extructa, ut palatia eſſe videantur) vidi Synagogam, & Ceremonias Judæorum Sabbaticas; poſt impoſitum iis finem incidi in Diſputationem cum Judæo Medico, cùm de myſterio Sacro-Sanctæ Trinitatis, tùm de gloria Templi ultimi, quam negabat ipſe ex adventu Meſſiæ æſtimandam, ſed ampliorem fuiſſe gloriam humanam; primum enim Templum ſæpius impune etiam à Gentilibus ſpoliatum, profanatum; Templum vero ſecundum à Gentibus longe magis honoratum, fuiſſe percuſſos, & manifeſta pœna coërcitos ejus profanatores. Ego reſpondi, id Templum habendum eſſe pro glorioſiori, in quo plenior ſit gloria divina, eam vero propter Urim & Tummim, Revelationum perfectionem, & frequentiam fuiſſe in primo Templo. Majorem itaque gloriam in Templo ſecundo nullam eſſe potuiſſe, niſi quæ ex voce, & præſentia ipſius Filii Dei, ſeu Meſſiæ manifeſtatione comparuerit.

Viſitavi

Visitavi quoque Comenium, Senem ferme septuagenarium Chiliastam, cum quo varii discursus. Differebat occasione nuper electi Regis Poloniæ de isto Regno, Nobiliumque Polonorum libertatibus &c. Magnus est æstimator visionum, & Revelationum divinarum, quarum jam volumen aliquod collegit, multaque huc facientia commemoravit.



VII.

Biga Epistolarum *(†)* Theologi quondam Lipsiensis Celeberrimi D. JO. BENED. CARPZOVII ad THEOPHIL. SPIZELIUM, Theologum olim Augustanum maximi nominis.

Pacem, & anni, quem nuper auspicabamur, introitum felicem, feliciorem progressum, & felicissimum exitum!

HAec enim causa fuit, Vir admodum Rever. ac Præclarissime, Frater in JESU CHRISTO, Amice, & fautor honoratissime, quæ tacentem hucusque, ut has darem, impulit, mea inquam in Te pietas vel verbo complecti contenta, quæ aliàs formularum ambitu prolixiori, quam affectu,

(†) Harum, aliarumque ad B. Spizelium olim a famigeratissimis Viris exaratarum, αὐτόγραφα mecum, quæ ejus erat facilitas, communicavit Vir de Ecclesia Augustana insigniter meritus, ac sub finem superioris anni pie, non sine acerbissimo eorum, quibus illius virtutes eximiæ perspectæ erant, luctu defunctus M. Georgius Ruprechtus.

ctu, recitari solent magis, quam voveri. Nam dum hodiernâ die à concatenatis laboribus, quos feriarum nobis hactenus facessit interruptus ordo, respirare cœpi quadantenus, hoc biduum scribendis ad amicos literis impendere decrevi, cum ut revoluto in orbem anno amicitiam, quæ sancte cum iis mihi colitur, pio voto, quod solet, redintegrarem, tum ut exsolverem me debito, si forte unius alteriusve datæ olim ad me literæ responsionem efflagitent. Eâ fini forulos literarum præterito anno ad me missarum excutio, inque iis Tuas invenio, Frater colendissime, quas Idibus Aprilis scripseras, miserasque cum gratissimo Sactorum Arcanorum dono. Etsi verò (Deum testor!) prorsus ignarus sum, utrum debita illis responsio gratiarum actioni juncta reddita sit, an non? Quoniam tamen constitutum mihi fuit, amicitiam nostram hoc anni initio literarum veluti fomento revocare ad vitam, illas quasi heri acceptas denuò perlegi, tuumque tacitus amorem, & benevolentiam animo lætabundo veneratus sum. Quod si nulla adhucdum missa est ad humanissimas illas literas abs me responsio, Tu pro benevolentiâ Tuâ sinistrè haud interpretaberis, spero, præsertim

ubi

ubi tot tantarumque mutationum mihi subindè subortarum fueris recordatus. Postquam enim sub initium anni præteriti divinitùs mihi obtigit ad munus Ecclesiasticum vocatio, hoc unum agere debebam, ut, quod grave videbatur spartæ hujus adornandæ initium, satisfacerem nihilominùs officio, quod susceperam. Mox circa Pentecostes ferias transferendum erat domicilium, turbatis, ut amat fieri, mutatisque in alia omnia rebus meis, dispersis hinc inde qualibuscunque, quos bibliothecula mea capit, libellis: ipsis etiam studiis nonnihil insuper habitis, nisi quod sacra functio sibi meditationis posceret. Accedebat præter opinionem Promotio ad Licentiam Theologicam, quæ nova molimina postulabat: Succedebat Professionis Moralium cum aliâ Hebrææ Linguæ commutatio: denique & Matrimonium, quod cum Virgine duodecennali, Reginâ Mariâ Lanckisiâ contrahebam. Ita aliud ex alio identidem nascebatur inter continuos labores, quos ordinarie subibam: quæ sane omnia, si non singula, apud amicum excusabunt, si neglectum erga se officium deprehendat. Cæterum Te non inter primos Amicorum numero, sed omnibus antepono, & sincero

animi affectu veneror magis, quam eloquor, id unum hactenùs inter præcipua, quæ adversa evenêre, ponens, quod nulla se occasio obtulerit, nec mihi suppetierit facultas, non referendi dicam amorem, & beneficia in me Tua, sed attestandi saltem animum, gratum haberi cupientem. Quod si hactenus negligentior fui in scribendi officio, posthac majorem Tibi diligentiam polliceor. Quamdiu enim Cathedræ Philosophicæ adhæsi, invitus egi omnia, quod per vocationem illam à delitiis meis Hebraicis, quas odisse jam propemodum, quia sic jubebar, inceperam; nunc ubi ad hæc sacra postliminiò quasi redii, majori cum voluptate, & ecclesiastica, & professoria functio adornatur, quam una olim Moralium Lectura. Atque utinam illa animorum nostrorum conjunctio propiori absentiâ corporum juvaretur, næ faciliori longè negotio sacra hæc nostra studia tractaremus! Sed quorsum hæc desideria eorum, quibus potiri non possumus? Agamus potius nobis demandata cœlitus, & agnoscamus grato pectore amorem Dei, quo dignos nos voluit; quibus in suâ vineâ laborandi concederet locum, & quod temporis (heu quam exiguum!) superest, Tu emittendo in pu-

blicum

blicum doctissimas lucubrationes, quæ dudum applausum eruditorum promeruerunt, ego Studiosis Grammaticalia mea prælegendo, consumamus. Dandum tamen aliquid amicorum literis, è quibus non rarò reddimur doctiores. Tu si frequentiori me posthac dignaberis alloquio, non nisi informationem interpretabor. Cave sequius hoc accipias, sincerè ajo. Mihi hîc, meisque Musis, cum uxorculâ meâ vivo, nihili æstimans aliorum in Academiâ strepitus, postquam inter plurimos labores animi tranquillitatem Deus optimus concessit. Nihil in publicum molior, quia quod privatim agam; sat habeo: Privata autem sunt mihi omnia, quæ ratione officii incumbunt, intra unius Lipsiæ conclusa muros. Dissertationem tamen de Vaccâ rufâ scribere jussus sum, cum Examen pro Licentiâ exantlassem. Feci, quod potui, & intra paucos dies, sex tantùm ejus quaterniones absolvere potui, quibus exhauriri materiæ fertilitas, non poterat: nec poterant addi reliqua ob imminentem Promotionis diem. Ita factum, ut cura altera expressis non accederet, sed quæ primum illeveram chartis, typis materiam semper præstolantibus, tradenda essent. Animus erat, in plures

laborem, qui sub manu excreverat, partes dispescere; sed ne, qui primò prodiit, titulus mentiretur, mutavi consilium, noluique cum Amicis chartas illas communicare prius, quam cætera accessissent: Accedent verò tum demum, ubi otium quantisper nactus fuero. Si de materia ista Tibi quæ annotata sunt, quæso amico ne invideas: mihi ne verbulum scriptum est præter ea, quæ expressa typis ad te mitto, eâ fini, ut institutum meum penitius perspicias. Sunt in iis quædam errata typographica, eaque graviora paulo, quæ mihi non imputabis. Cætera, quæ parum tibi ad palatum, monebis, cum in sequentibus corrigendi fuerit occasio. Scripsit ad me his nundinis David Cohen de Lara, Hamburgo, deque statu tuo voluit informari, utrum adhuc vivas: petiit insuper, ut si tecum mihi intercederet literarum commercium, suo te nomine salutem, insigniter Te enim hoc salutis nuncio gavisurum.

Misit præterea Specimen Lexici sui Talmudico-Rabbinici, operis, uti fert inscriptio, XL. annorum, plus sine dubio laudis promeriti, si, cujus olim ipsum admonueram, verba latina singulis vocibus adjecisset. Adjecit equidem, sed literis Hebrai-

cis,

cis, quibus multò obſcurior redditur contextus, cùm Chriſtianis, quibus tædioſa lectio linguæ ſibi familiaris literis peregrinis; tùm Judæis Latina prorſus ignorantibus. Atquè hæc in præſentiarum, bono omine prolixius, quam cum calamus admoveretur, intendebam. Quæ ſi labores tuos intempeſtive interpellarunt, amori noſtro id imputato. Vale cum Tuis feliciter, & Eccleſiæ, ac bono publico, mihi etiam, ſi merebor, perenna. Dabam Lipſiæ, d. XII. Januarij. Ao. 1669.

Admodum Reverendæ Tuæ

Claritatis

addictiſſimus

L. Joh. Benedictus Carpzov.

Pacem à Jesu, & cum Jesu omnia!

Vir plurimum Reverende, Amplissime, atque Præclarissime, Domine, Amice, Fautor, & frater in Christo colendissime.

ABsit vero, ut unquam amicitia nostra ecclipsin passa dicenda sit, etsi ad tempus illos literarum veluti radios retraxerit. Causam constantis adeo silentii audivisti, non luminis sincerioris, sed mediorum, per quæ clarius illud ad Te penetraret, defectum. Nunc firmiter animo propositum est meo, nunquam ultra octiduum ad amicissimas tuas, si obveniant, responsum differre, non quod persuadeam mihi, meas literas Tibi quandam voluptatem afferre, sed ut ad frequentiores Te excitem, è quibus semper doctior recedo. Neque enim de Claudii Capellani Mari Rabbinico, neque de Jo. Marshami disquisitionibus, cæterisque, quos commemoras, libris prius constitit, quam Tuæ illorum facerent mentionem.

nem. Unius Johannis Spenceri de Urim & Thummim differtatio vifa, & lecta eft, poftquam mihi amicus quidam Hamburgo fubmiferat, ut de fententia ejus, quam portentofam putabat, judicium redderem. Unde ego paulo diligentius tunc evolvi, inque Compendium (cum ipfa differtatio libro fatis jufto abfolvatur,) redactam cum brevi cenfura amico illi familiari epiftolâ reddidi, quod poftea Spencerianæ differtationis Compendium animadverfionibus ad Jus Hebræum Regium Schikardi, ubi eadem materia ex inftituto ab Autore ventilata fuit, inferui. Videbis illud inde à pag. 30. & feqq. Ipfe alias Spencerus Rabbinicarum literarum contemptor, & ficuti videtur, rudis eft, in cæteris vero ftudiis cultiffimus, & ingenio, atque judicio nemini fecundus: Tui etiam celeberrimi nominis iteratam facit mentionem pag. 47. & 188. Prodiit Cantabrigiæ Anno 1669. in forma, quam vocant octava, fed grandioris chartæ. Voifiniani in Matthæum Commentarii mentio dici non poteft, quantum falivam moveat. Hunc ego autorem, & Gaulminium, amicum ejus, inter doctiffimos Hebraicè Gallos numero, quos unquam illa natio habuit. Quanquam hodie

plures subinde Parisiis in lucem prodeant, Ambrosius Janvier, Ludovicus de Compiegne, aliique, qui in transferendis Rabbinorum monumentis, ipsis etiam Anglis palmam præripiunt. Et huic quidem (Ludovico) constitutum est, omnia R. Maimonidis statuta ex magno illo opere *Jadchasakah*, Latio donare: quantum mihi ex præfatione illius constat, quam tractatui de Consecratione Calendarum, deque ratione intercalandi præmisit, in quâ simul provocat ad ejusdem Maimonidis tractatûs de Paschate, de solemnitate Expiationum, & de Jejunio; quos pridem ex Hebræo Latine redditos edidisset. Erat jam ante annum, qui eadem de Jure Hebræorum ex Maimonidis Opere typis credidisse Miegium, Professorem Heidelbergensem affirmabat; nihil tamen vidi hactenus, quod lucem adspexerit. Si certiora de Miegio (Professore credo Hebrææ Linguæ) & ejus conatu habeas, ne invideas quæso. De Esenweinio quæ scripsisti, grata fuerunt. Utrum verò editionem Operum Schikardianorum adhuc meditetur scire admodum desidero, non quod ipse hunc laborem subire decreverim, de quo ne somniavi quidem; sed ut compotes aliquando evadamus promis-

sorum

ſorum toties incomparabilis viri ſcriptorum nondum editorum: cumprimis Triumphatoris vapulantis. Diſſertationem de nummis Hebræorum (quam inter Manuſcripta nondum edita recenſes) mutuò olim habui à B. Domino Johanne Schmidio, Argentorati; impreſſam utique, inque titulo variorum ſiclorum ectypa exhibentem. Sed & Eclogæ Sacræ vivente adhuc ipſo editæ ſunt, ac paſſim Anglis ſcriptoribus allegatæ, Tailorio cumprimis, qui nonnulla in iis ſub examen, & cenſuram revocavit. Capitula Patrum toties cum verſionibus excuſa ſunt, ut cum pace Manium Schikardianorum publico dari vix queant. Edidit ſuperiori ſeculo Paulus Fagius, Iſnæ, noſtro Philippus Aquinas Pariſiis Anno 1620. Franciſcus Tailorius Londini. Anno 1653. Joh. Leusdenius Ultrajecti Anno 1665. Præterea in ſingulis Judæorum libellis precatoriis, (סדר תפילות vocant,) quorum aliquot editiones poſſideo, punctis vocalibus veſtita conſpiciuntur. Solus ego, undecim Capitulorum iſtorum diverſiſſimas editiones habeo, inter quas ne Fagii quidem eſt, neque Tailorii, ex memoratis. Index Parſarum Judaicarum ad Bechinath happeruſchim pertinet, ac perperam inter

U 5 hiſto-

historica, quasi quidam liber refertur. Rabbinorum nomenclator historicus, si absolutus, & perfectus sit, ad lectionem Talmudicam summe necessarius est. Non enim aliud post Halichoth Olam subsidium habemus, quam quod obscure nimis, & difficulter subministrat R. Zachutus in Juchasin. Sed vereor, ut quicquam ἀνέκδοτον completum sit, cum in præcipuis illis, quæ in publicum exivere, Bechinath happeruschim, & Tarich Regum Persiæ vix ultra Prooemium processerit, immatura morte extinctus. In Jure Regio excudendo jam Operæ apud nos desudant, exclusuræ illud ad instantes nundinas vernales: quod mihi omne tempus Ecclesiasticis laboribus suffurandum præripit. Nam cum hebdomatim tres minimum quaterniones (si absolvi debeat) imprimendi sint, & singuli abs me bis semper calculentur, post tædiosas in funera processiones, ægrotorum visitationes, & alias sacri muneris functiones negotiis aliis antehabendas, post meditationes Concionibus dicandas, & quorundam privatam informationem, cui quotidie bihorium tribuitur, post Collegia etiam, quæ continuantur, Concionatoria quater singulis septimanis visitanda, & publicam pro-

professionis administrationem, nihil propemodum superesse cernis temporis, quod istis in Schikardum animadversionibus insumi posset, unde sæpius, ubi prolixior esse decreveram, urgente typographo abrumpendum, cum nihil paratum, & in promptu sit, & schedulatim (sit verbo venia) omnia typis transmittenda, ut ne secundæ quidem curæ concedantur. Spero tamen, non omne oleum his notis perdi, ob varietatem materiarum, quâ ad studium hoc diligentius excolendum inflammentur auditores: his enim, non aliis hæc scribuntur. Ac poteram certe nullo negotio peculiarem librum variarum lectionum, aut observationum ex his notis conficere, si in Capitum ordinem, & numerum cogerem, quæ ad Schikardi textum vel illustrandum, vel emendandum observantur, sed isthæc ratio juventuti fortassis commodior, cujus unicè utilitatem intendo. Mitto exemplar omnium, quæ hucusque confecta sunt, rogoque, ut per otium evolvere digneris, quæque placeant, vel displiceant, candide pro amore nostro aperias: Secuturos quaterniones, ubi itidem absoluti fuerint, suo tempore submittam. Urget Socrus, (cujus bibliopolio præfectus me inscio editionem

operum

operum Schikardianorum cum animadverſionibus meis publice promiſerat, cum ipſe nihil minus cogitarem, quam de labore hoc ſuſcipiendo, neſcio quas conſilii hujus ſui cauſas, exceptionesque prætendens,) ut ad eundem modum cætera quoque Schikardi opera continuis id genus notulis veſtiam, uno volumine ſic edenda, ut I. Jus Regium. II. Tarich. III. Bechinath happeruſchim. IV. Sylloge diſſertationum; quæ haberi poſſent, v. g. de Purim, de nummis Hebræorum, alphabetum Davidicum, Ecclogæ ſacræ &c. compareant. Enimvero nondum conſentio, & ſunt privatim non unæ rationes, quæ diſſuadeant; Suffecerit Jus Regium. Cui an præfigenda ſit Autoris imago? ambigo. Æri equidem, ut noviter incidatur ad Tui ectypi præſcriptum, ſed majori forma, pridem non concluſum modò, ſed & chalcographo mandatum; at eâ ſpe, ut omnibus Schikardi operibus junctim editis præmitteretur, una cum ejus vita abs Te ſcripta, ſi nobis hanc veniam indulgeres. Utrum autem exiguæ huic operum particulæ ſplendidus adeo introitus conveniat, viderint illi, qui diſtrahendis poſtea exemplis præſunt: meâ parum refert. Vides inſtitutum, & qua occaſione

casione in hunc laborem damnatus sim, qualisque ille futurus. Cæterum, si liceret, de eo, quem mihimet ipse imposui, tecum familiarius paulò sermocinarer, consilium tuum exploraturus. Post nundinas Vernales, ubi cum Deo exclusus fuerit Rex Schikardi, sola atque unica cura erit Ruthæ continuatio, ut si omnino fieri posset, cum hoc anno ad finem perveniat. Huic proxime succedet de Raimundo cura, qui me ab aliquot annis, uti nosti, exercuit. Quicquid hactenus vel in Rabbinorum, Talmudicorumque scriptis, vel nostratium etiam Anti-Judaicis legi: id omne in adversaria mea certo loco, & ordine conjeci, ut observationibus in Raimundi pugionem, Voisinianis interserendis inserviret; ita quidem, ut non Capitibus singulis subjicerentur, prout in Parisiensi editione factum à Voisinio, sed singulis foliis Textui adhærerent, qualiter hæ meæ animadversiunculæ textui Schikardino. His tamen diebus, cum de ordinandis, & invicem commiscendis observationibus istis cogitarem, simulque modum decreturus essem, quo mea à Voisinianis discernerentur, ne vel mihi vindicarem non — mea, vel ingratiis Voisinii adhuc superstitis ipsi de meis

meis quid tribuerem, quorum fortaſſe eum puderet; venit in mentem Theologiæ Judæorum acroamaticæ, quæ meis illis collectaneis, & ad augendas Voiſinii obſervationes hinc inde cerptis, juvari non minus, quam inſigniter exornari atque illuſtrari poſſet. Quare in eam pene ſententiam deveni, & magis fore conſultum, & ex utilitate ſtudioſæ juventutis, ſi Pugio ille cum ſolis Voiſinii notis prodiret, veluti Syſtema Anti-Judaicum; Ea vero, quæ initio illis inſerere decreveram, in peculiare Syſtema Theologiæ Judæorum theticæ redigerentur, quale nondum extare noſti. Etſi enim plures ſint, qui Judaicam theologiam vel ſcripſerunt, vel promiſerunt; alium tamen ſcopum, aliam methodum ſunt ſecuti. Hornbeckius de convincendis, & convertendis Judæis (quem in hoc genere omnibus antepono) ſaltem pro ſcopo habuit refutationem Menaſſis ben Iſrael, cujus pleraque vel Latine ſcripta, vel ex Hiſpanico, aut Luſitanico ſermone in linguam latinam transfuſa paſſim inter Chriſtianos circumferri videbat. Hulſius non niſi de adventu Meſſiæ agit, quæque de hoc uno articulo in libro *Abkath rochel* traduntur, impugnat; ut verius vindicatio

doctrinæ

doctrinæ de Messia contra Judæos, quam Theologia Judaica inscribenda fuisset. Quanquam justas habuit hujus inscriptionis rationes, ceu ex prooemio illius videre est. Josephus de Voisin Theologiam saltem stricte dictam, h. e. locum de Deo persequitur, idque non ex Judæorum mente, sed Christianorum, quorum doctrinam conquisitis Hebræorum testimoniis confirmat. Nec alium sibi scopum præfixisse, ipse hic libri ejus titulus eloquitur: *Theologia Judæorum, sive Opus, in quo rem ipsam, quæ nunc Christiana religio nuncupatur, etiam apud Antiquos fuisse, priusquam Christus veniret in carnem, ex Hebræorum libris ostenditur.* B. Mülleri Judaismus in refutandis saltem heterodoxiis circa quæstiones de fide præcipuas occupatur. Idem scopus Havemanni libello. Nec vidi, qui thesin Judæorum (rectius forte Antithesin) acroamatice tractarit. Unus Hottingerus hanc viam ingressus est in Compendio Theologiæ Judaicæ, Dissertationum Enneadi inserto; hoc tamen σκιαγραφία solùm erat futuri Operis, sed quam pluris æstimo, quam omnia illa modò memorata aliorum volumina. Ejusdem scopum intendo, sed aliâ methodo, alioque ordine feriendum. Nempe ut

pe ut nostra Christianorum Systemata theologica certa methodo Locos dispescunt: sic in hoc Theologiæ Judaicæ Systemate omnes Loci, sive controversi sint, sive veritatis utrinque agnitæ, ductu determinandæ alicujus methodi, distribuendi essent. Hinc quilibet Locus per theses ex mente Judæorum, strictim & succinctè concipiendas, deducendus, v. g. in loco de principio Theologiæ thesis prima fuerit: *Principium Theologiæ est verbum Dei, quod vel scriptum vel non - scriptum.* Thesis II. *Verbum scriptum vocatur* תורה שבכתב *Lex scripto tradita, & viginti quatuor Scripturæ libris continetur.* Thesis III. *Hi libri dispescuntur in* תורה *Legem*, נביאים *Prophetas*, *&* כתובים *Hagiographa &c.* Singulis porro thesibus suæ essent subjiciendæ ectheses, in quibus (1.) termini, & sensus theseos explicentur. (2.) Locis ex Talmude, & Rabbinorum scriptis in medium Hebraicè, & cum versione allatis confirmetur, hanc esse Judæorum thesin. (3.) Si qua circa thesin inter ipsosmet Judæos controversia, & contradictio, eadem ostendatur una cum fonte, unde disceptatio promanârit. (4.) Per remissiones ad Autores Christianos significetur, quatenus veritati,

veritati, & religioni Christianæ thesis vel contradicat, vel consentiat. Ita planissime de Judæorum religione, & doctrina, quoad omnes fidei articulos informari posset Juventus, simulque haberet forulos, in quibus reconderet, quicquid unquam ullibi de Judæorum Theologia occurreret. Atque ad hunc laborem accederem, ut primùm Collegium illud biblicum absolvissem, Disputationibus Academicis (æque ut collegium istud) continuandum; donec interim absque ulla mea molestia (si solùm typographiæ calculum excipias) Pugio Raimundi imprimatur. In quo denuò illud deliberandum erit, an ad Parisiensem prorsus editionem conformari debeat, an verò magis consultum sit, si, uti Bœclerus Seldeni Opus de Jure Naturæ, & Gentium, Londini olim in folio editum, in forma quarta recudi curarit, (quod similiter in Casauboni exercitationibus, Grotii de Jure Belli, & Pacis, multisque aliis sumptuosius primùm excusis factum) ita hic etiam pugio in studiosorum tenuioris fortunæ gratiam ex ampliori illa ad minutiorem contrahatur formam, præsertim cum sic justum volumen adimpleret, ad quale Parisiensis editio nondum assurgit.

git. Omnia hæc tuo judicio, tuo arbitrio, tuæ autoritati subjiciuntur: quicquid facto opus judicaveris, illud fiet. Ingenue me, (nescio tamen an prudenter satis,) coram amore tuo (Enniano verbo) expectoravi; cum nemo mortalium sit, cum quo conferre talia vel liceat, vel placeat: nemo etiam fortassis, præter Te, qui meliora consulere aut possit, aut velit. Saltem illud oro, & uti spero, exoro, ne institutum illud meum qualecunque è simplici corde, & pia auditores meos juvandi intentione profectum ulli reveles: unde cum varia sustinere fata soleant literæ, optarem has, postquam legeris, igne abolitum iri. Soleo cum amicis (qualem nescio an præter Te alium venerer) candidius loqui, atque ita sæpius, ut si alius audiret, vix sibi temperaret à risu. Tu pro candore Tuo, & veteri amicitia, quam ad aras usque sancte in hac vita colam, donec nos aliquando cœlum jungat, non dextre modo omnia interpretaberis, sed & loquacitati huic meæ (quâ veluti commissum olim silentium compensatur) ignosces. Quod superest, de tuis etiam rebus, cùm œconomicis, tùm literariis, fac sim certior. Neque mirare, cur de domesticis

quæ-

quæram. Nam ſolent ea ſæpiuſcule noſtra ſtudia ſufflaminare, ſi ad votum minus ſuccedant. Tibi tamen omnia, ut ad votum fluant, hoc, quem ingreſſi ſumus, multisque ſecuturis annis, cordicitus opto. Faxit Deus, ut in Eccleſiæ bonum, & rei literariæ emolumentum, cum ſuaviſſima Conjuge, & univerſa familia honoratiſſimâ ſalvus, & incolumis vivas, creſcas, floreas! Vale.

Dabam Lipſiæ d. IIX. Januarii, ſtyli veteris, Anno 1674.

Admodum Reverendæ Tuæ

Claritatis

ad ſtudia, & preces

L. Joh. Benedictus Carpzov.

VIII.

CALENDARIUM ETYMOLOGICUM,

Ex

LOMBARDICA HISTORIA

Jacobi de Voragine,

Quæ a plerisque

Aurea Legenda Sanctorum

appellatur,

Congeſtum.

PRÆFATIO.

DEbetur hoc Eraſmo Schmidio, Viro de Græcis præſertim literis præclare merito, qui id typis excudendum curavit Wittebergæ 1604. Denuo illud exponere luci viſum fuit, quod ejusmodi libelli minuti, olim evulgati, pauciſſimorum in manibus verſentur, nec injucundum ſit recognoſcere priſcæ barbariei Documenta. Inde enim perſpicimus, quantum divinæ benignitati ſimus

ſimus devincti ob diſcuſſam illam noctem caliginoſam, quæ non veræ tantum eruditioni, ſed ipſi etiam religioni denſiſſimas obduxit tenebras. Nec vero ſolus Jacobus de voragine, Epiſcopus olim Genuenſis, ferrei oris, & plumbei pectoris Vir, qui per aliquot ſæcula ob inſignem, ſi Diis placet, doctrinam maximæ fuit exiſtimationis, in etymis vocum rimandis ita ineptiit, & craſſam inſcitiam prodidit, ſed alii etiam, quod ex barbaris Monachorum veteris ævi vocabulariis, quodlibetis, & ſimilibus fumoſis, rancidis & obſoletis chartulis, ad quas etiam in præfatione huic Calendario præmiſſa D. Salomon Geſnerus, Theologus olim Wittebergenſis, provocat, apparet. Idem quoque, nec injuria, Lyram, Hebraici ſermonis probe gnarum, & Iſidorum Hiſpalenſem, alias non ineruditum, in vocum etymologiis ridiculos ſe exhibuiſſe aſſerit. Addimus nos Hugonem de S. Caro Cardinalem, qui ſuos in S. Scripturam commentarios inſipidis iſtiusmodi vocum derivationibus valde deformavit.

JANUARIUS.

Dies

1.

2.

3.

4.

5.

6. EPIPHANIA dicitur ab *epi*, quod eſt *ſupra*, & *phanos*, quod eſt *apparitio*. Quod tunc deſuper ſtella magis apparuit.

Vocatur & THEOPHANIA à *theos*, quod eſt *Deus*, & *phanos*, quod eſt *apparitio*, quod tunc Deus Trinitas apparuit, in baptiſmo Chriſti:

Et BETPHANIA, a *beth*, quod eſt *domus*, quoniam Chriſtus in miraculo converſionis aquæ in vinum facto in domo, verus Deus apparuit.

Et PHAGIPHANIA, a *phage*, quod eſt *bucca*, ſive *manducare*, quoniam quinque millia hominum de quinque panibus hoc die ſatiavit. Sed de hoc miraculo, utrum hac die contigerit, dubitatur, tum quod in Originali Bedæ non ſic expreſſe legitur, tum quod Joh. 6. ubi de hoc miraculo agitur, dicitur: *Erat autem proximum Paſca*, &c.

MAGI

MAGI autem tres Hierosolymam venerunt quorum nomina in Hebræo sunt: *Appellius*, *Amerius*, *Damascus:* Græcè, *Galgalath*, *Magalath*, *Saracbin*. Latine: *Caspar*, *Balthasar*, *Melchior*.

7. —

8. —

9. —

10. —

11. —

12. —

13. HILARIUS. Dictus est quasi *hylaris*, quoniam in servitute Dei valde hilaris fuit. Vel, quasi *alarius*, ab *altus* & *ares*, id est *virtus*, quoniam fuit altus in scientia & virtuosus in vita. Vel ab *ile*, quod est quasi primordialis materia, quæ obscura fuit, & ipse in dictis suis magnam habet obscuritatem, & profunditatem.

14. —

15. MACARIUS, dicitur a *macha*, quod est *ingenium*, & *ares*, *Virtus*. Vel a *macha*, quod est *percussio*, & *rio*, *magister*. Vel *macharius*, id est *beatus*.

16. MARCELLUS, dictus est, quasi, *Arcens malum a se*. Vel, quasi *Maria percellens*,

cellens, i. e. mundanas adversitates percutiens, & conculcans.

17. ANTONIUS, dicitur ab *ana*, quod est sursum, & *tenes*, quasi superna tenens, & mundana despiciens.

18.

19.

20. FABIANUS, SEBASTIANUS, dicitur autem *Fabianus*, quasi *Fabricanus*, fabricans beatitudinem supernam. *Sebastianus*, à *sequens* & *beatudo*, & *astim*, quod est civitas, & *ana*, quod est *sursum*, quasi sequens beatitudinem civitatis supernæ. Vel a *basto*: nam miles Christus, equus Ecclesia, bastum sive sella Sebastianus, quo mediante Christus in Ecclesia militavit, & de multis martiribus victoriam obtinuit. Vel interpretatur *Vallatus*, quoniam sagittis tanquam ericius fuit circumdatus: Vel *circumiens*, quoniam omnes martyres circuibat, & omnes confortabat.

21. AGNES, dicta est ab *agna*, quoniam mitis & humilis tanquam agna fuit: Vel a Græco quodam *Agnos*, quod est pium. Vel ab *Agnoscendo*.

22. VINCENTIUS, dicitur quasi *vicium incendens*. Vel: *Vincens incendia*; Vel: *Victoriam tenens*.

23. —

23. —
24. —
25. —
26. —
27. JULIANUS, quasi *jubilus*, & *ana*, quod est *sursùm*. Inde Julianus quasi *Jubilianus*, quia cum jubilo superna petiit. Vel a *Julius*, quod est *incipiens* & *anus*, id est, *senex*. Nam in Dei servitio fuit senex longanimitate, sed incipiens sui reputatione.
28. —
29. —
30. IGNATIUS, dicitur, quasi *ignem patius*, id est, ignem patiens divini amoris.

FEBRVARIVS.

1. —
2. PURIFICATIO MARIÆ. Hoc festum dicitur etiam IPAPANTI, quod est idem, quod *præsentatio*, ex eo, quod Christus est in templo præsentatus. Vel idem quod *obviatio*, quod Simeon & Anna obviaverunt Domino, cum offerretur in templo: ab *ipa*, quod est *ire*, & *anti*, quod est *contra*. Dicitur ergo *Ipapanti*,

quoad collationem gloriæ, per hoc quod dicitur a Simeone *lumen ad revelationem gentium.* Dicitur & CANDELARIA, quoad illuminationem gratiæ, per hoc quod dicitur, *Gloriam plebis Iſraël.* Vel ex eo, quod candelæ accenſæ in manibus portantur. Nam mulieres Romanorum, ut ait Innocentius Papa, his diebus feſtum luminarium exercebant, quod a quibusdam fabulis Poëtarum originem traxit. Ajunt enim, quod Proſerpina fuit adeo ſpecioſa, quod Pluto Deus infernalis eam concupiſcens, ipſam rapuit, & Deam eam fecit. Parentes autem ſui per ſylvas & nemora cum facibus & luminaribus circumibant. Et quoniam difficile eſt conſueta relinquere, Chriſtiani de gentibus ad fidem converſi, difficile poterant relinquere hujusmodi conſuetudines paganorum; ideoque Sergius Papa hanc conſuetudinem in melius commutavit, ut ſcilicet Chriſtiani ad honorem ſanctæ matris Domini, omni anno in hac die totum mundum cum accenſis candelis & benedictis cereis illuſtrarent, ut ſolennitas quidem ſtaret, ſed alia intentione fieret.

3. BLA-

3. BLASIUS, quasi *blandus*, vel quasi *belasius*, a *bela*, quod est *habitus*, & *syor*, parvulus. Fuit enim blandus, per dulcedinem sermonum. Habitus, per habitus virtutum, parvulus per humilitatem morum.

4. —

5. AGATHA, dicitur ab *Agyos*, quod est *Sanctus*, & *theos*, *Deus*, quasi *Sancta Dei*. Vel ab *a*, quod est *sine*, & *geos terra*, & *theos*, *Deus*, quasi, *Dea sine terra*, id est sine amore terrenorum. Vel ab *aga*, quod est *loquens*, & *thau*, *consummatio*, quasi *perfecte & consummate loquens*, quod patet in suis responsis. Vel ab *Agad*, quod est *servitus*, & *thaas*, *superior*. Vel ab *Aga*, quod est *solennis*, & *thau*, consummatio, quasi, *solenniter consummata*, id est *sepulta*, quod patet in Angelis, qui eam sepelierunt.

6. —

7. —

8. VEDASTUS, quasi *vere dans astus*, quoniam vere sibi dedit æstus afflictionis & pœnitentiæ. Vel quasi *Vadistans*, quoniam æternum Væ ab eo distat.

9. — —

10. — —

11.

11. — —

12. — —

13. — —

14. VALENTINUS, dicitur quaſi *Valorem tenens*, hoc eſt, in Sanctitate perſeverans. Vel quaſi *Valens tiro*, id eſt, Miles Chriſti.

15. —

16. —

17. —

18. —

19. —

20. —

21. —

22. CATHEDRA PETRI. Cathedra triplex eſſe dicitur, ſcilicet *regalis* 2. Reg. 23. David ſedens in Cathedra &c. *Sacerdotalis* 1. Reg. 1. Heli Sacerdote ſedente ſuper ſellam &c. & *Magiſtralis* Matth. 23. Super cathedram Moyſi &c.

Beatus ergo Petrus ſedit in Cathedra *regali*, quoniam fuit PRINCEPS OMNIUM REGUM: *Sacerdotali*, quoniam fuit paſtor omnium Clericorum: *Magiſtrali*, quoniam fuit Doctor omnium Chriſtianorum.

23. —

24. MATHIAS Hebraice, Latine dicitur *donatus Domino*, vel *donatio Domini*, vel *humilis*,

milis, sive *parvus*. Vel a *manu*, quod est *bonum*, & *thesis*, *positio*, inde Mathias, *bonum positum pro malo*, scilicet pro Juda.

25. —
26. —
27. —
28. —

MARTIUS.

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12. GREGORIUS dicitur a *Grex*, & *Gore*, quod est *prædicare* seu *dicere*, quasi *Gregis prædicator*. Vel quasi *Egregorius*, ab *egregius*, & *Gore*, quasi *egregius prædicator & doctor*. Vel Gregorius in lingua nostra *Vigilans* sonat.

13.

13. —
14. —
15. —
16. —
17. —
18. —
19. —
20. —
21. —
22. —
23. —
24. —
25. —
26. —
27. —
28. —
29. PILATUS, *(cujus circa hæc tempora in historia Passionis mentio fit)* dicitur a *Pyla* matre, & *Atus*, qui fuit *avus*, molendinarius.
30. —
31. SECUNDUS, dicitur, quasi *se condens*, id est, se honestate morum componens. Vel quasi *secundans*, id est, *obsecundans*. Vel quasi, *secum dux*.

APRILIS.

1. —
2. —

3.

3. —

4. AMBROSIUS, dicitur de *ambra*, quod est species valde redolens & pretiosa. Vel ab *ambra*, & *syos*, quod est *Deus*, quasi *ambra Dei*. Vel ab *ambor*, quod est *pater luminis*, & *syor*, quod est *parvulus*. Vel, sicut dicitur in Glosario, *Ambrosius*, odor vel sapor Christi cœlestis: *Ambrosia*, esca Angelorum: *Ambrosium*, cœleste mellis favum.

5. —
6. —
7. —
8. —
9. —
10. —
11. —
12. —
13. —
14. —
15. —
16. —
17. —
18. —
19. —
20. —
21. —
22. —

23. GEOR-

23. GEORGIUS dicitur à *Geos*, quod est *terra*, & *orge*, quod est *colere*, quasi *colens terram*, id est, carnem suam. Vel a *Gerar*, quod est *Sacrum*, & *Gion*, quod est *arena*, quasi *sacra arena*. Fuit enim arena: quoniam ponderosus morum gravitate, minutus humilitate, & siccus a carnali voluptate. Vel a *Gerar*, quod est *Sacrum*, & *Gion* quod est *luctatio*, quasi *sacer luctator*, quia luctatus est cum Dracone & Carnifice. Vel a *gero*, quod est *peregrinus*, & *gir*, *preciosus*, & *us*, *consiliator*. Ipse enim fuit peregrinus in contemtu mundi, preciosus in corona martirii, & consiliator in prædicatione regni.

24. —

25. MARCUS, interpretatur: *sublimis mandato*, ratione perfectionis in vita, quod non solum servavit mandata communia, sed etiam sublimia, sicut sunt consilia. Vel: *certus*, ratione certitudinis in doctrina Evangelii sui, quam a Petro magistro suo didicit. Vel: *declinatus*, ratione humilitatis profundæ. Nam propter nimiam humilitatem pollicem sibi amputasse dicitur, ut sacerdotio reprobus haberetur. Vel: *amarus*, ratione acerbitatis pœnæ. Vel dicitur a *marto*, quod est

malleus

malleus major, qui quidem eodem ictu ferrum domat, melodiam gignit, incudem firmat: ſic Marcus unica doctrina ſui Evangelii domat hæreticorum perfidiam, dilatat laudem divinam & confirmat Eccleſiam.

26. —

27. —

28. VITALIS, quaſi *vivens talis*, quoniam qualis vivebat exterius in opere, talis erat intus in corde. Vel, a *vita*. Vel: quaſi *vivens alis*, id eſt, tuens ſe alis virtutum. Ipſe enim fuit tanquam unum de animalibus Dei, quæ vidit Ezechiel, habens in ſe quatuor alas, ſcilicet *alam ſpei*, qua volabat in cœlum; *Alam amoris*, qua volabat in Deum: *alam timoris*, qua volabat in infernum: *alam cognitionis*, qua volabat in ſe ipſum.

29. —

30. —

MAJUS.

1. PHILIPPUS & JACOBUS. Dicitur PHILIPPUS, *os lampadis*, vel *os manuum*. Vel *à philos*, quod eſt *amor*, & *yper*, quod eſt *ſuper*, quaſi *amator ſupernorum*.

JACOBUS vero dicitur quasi *Jacopus* a *jaculo*, & *cope*, quod est *casio*, quasi *casus jaculis* per martirium.

2. —

3. INVENTIO CRUCIS dicitur, quoniam tali die crux inventa fuisse refertur. Nam & antea fuit inventa, a *Seth* filio Adam in terrestri paradiso; a *Salomone* in Libano: a *regina Saba* in Salomonis templo: a *Judæis*, in aquæ piscine: hodie ab *Helena* in monte Calvariæ.

4. —

5. —

6. —

7. —

8. —

9. —

10. EPIMACHUS & GORDIANUS. Dicitur EPIMACHUS ab *epi*, quod est *supra* & *machim*, quod est *rex*, quasi *supernus rex:* Vel ab *epi*, quod est *supra*, & *maches*, quod est *pugna*, quasi *pro supernis pugnans*. GORDIANUS vero a *Geos*, quod est *dogma* sive *domus*, & *dyan*, quod est *clarum*, quasi *clara domus*, in qua habitabat Deus.

11. —

12. NEREUS & ACHILLEUS. Interpretatur autem NEREUS, *lucis consilium:* vel

vel a *nereth*, quod est *lucerna*, & *us*, festinans, vel quasi *ne reus*, id est, *nequaquam reus*.

ACHILLEUS vero ab *Achi*, quod est *frater meus*, & *lesa*, quod est *salus*, quasi *fratrum salus*.

13. —
14. —
15. —
16. —
17. —
18. PANCRATIUS, a *pan*, quod est *totum*, & *gratus*, & *citius*, quasi: *totus cito gratus*. Vel sicut dicitur in Glossario: *Pancras* dicitur rapina: *Pancranarius* flagellis subjectus. *Pancrus*, lapis varie coloratus. Ipse enim rapuit prædam captivorum: fuit subjectus flagellis tormentorum: coloratus varietate virtutum.
19. —
20. —
21. —
22. —
23. —
24. —
25. URBANUS ab *Ur*, quod est *lumen* vel *ignis*, & *banal responsio*. Fuit enim *lumen*, per conversationem honestam, *ignis*,

 per

per charitatem ſuccenſam: *reſponſio* per doctrinam.

26. —
27. —
28. —
29. —
30. —
31. —

JUNIUS.

1. —
2. —
3. —
4. —
5. —
6. —
7. —
8. —
9. PRIMUS & FELICIANUS. Dicitur PRIMUS, quaſi *ſummus* & *magnus*.
FELICIANUS. quaſi *felix anus*, i. e. felix ſenex.
10. —
11. —
12. QUIRICUS & JULITA. Dicitur QUIRICUS, quaſi *quærens arcum;* vel a *chiſil*, quod eſt *fortitudo*, & *cus*, *niger*. Vel a *qui-*

a *quiris*, quod eſt *haſta*; Vel a *quiriles*, quod eſt *ſedile*. Ipſe enim fuit *arcus*, h. e. curvus in ſui humiliatione; *fortis*, in tormentorum paſſione; *niger*, in ſui deſpectione: *haſta*, in inimici debellatione: *Dei ſedile*, ex Dei habitatione.

JULITA [Quirici mater] quaſi: *juvans vita*, quoniam vita ſpirituali vixit, & per hanc multis profuit.

13. —

14. —

15. VITUS & MODESTUS. Dicitur VITUS quaſi *virtus*, id eſt virtuoſus. MODESTUS quaſi *ſtans in medio*, hoc eſt, in medio virtutis. Quamlibet enim virtutem tanquam medium circumſtant duo vicia tanquam extrema.

16. —

17. —

18. —

19. PROTASIUS & GERVASIUS. Dicitur PROTASIUS, a *protbos*, quod eſt *primum* & *ſyos*, i. e. *Deus* ſive *divinus*. Vel a *procul*, & *ſtaſis*, quod eſt *poſitio*: quaſi *primus* per dignitatem; *divinus* per dilectionem: *procul poſitus*, à mundi affectione. GERVASIUS vero à *Gerar*, quod eſt *ſacrum* & *vas*. Vel a *Geva*, quod eſt *in*-

colatus, & *ſyor*, *parvulus*: quaſi *ſacer*, per vitæ meritum; *vas*, per virtutum receptaculum: *peregrinus*, per mundi contemtum; *parvulus* per ſui deſpectum.

20. —

21. —

22. —

23. —

24. —

25. —

26. —

27. —

28. —

29. PETRUS & PAULUS. Interpretatur PETRUS, *agnoſcens*, quoniam perfectam ſcripturarum cognitionem habuit, & in prædicatione, quid cuique conveniret, agnovit. Vel *diſcalcians*, quia fuit virgo puriſſimus, quoniam a pedibus ſuarum affectionum omnem amorem mortuum diſcalciavit, & exuit, ut non ſolum corpore, ſed etiam mente virgo eſſet: & vincula peccatorum a nobis diſſolvit, & hoc per claves, quas a Domino accepit. Vel a *petros*, quod eſt *firmum*, quoniam martirium pro defenſione fidei conſtanter ſuſtinuit. Petrus autem trinomius extitit: videlicet: *Simon Bariona*,

na, Cephas, Petrus. Hic Petrus inter centos & super centos Apostolos majoris fervoris extitit. Nam scire Domini proditorem voluit, & si eum scivisset, dentibus discerpsisset. Et ob hoc Dominus proditorem suum nominare nolebat, quoniam si ipsum nominasset, Petrus continuo surrexisset, & eum trucidasset.

PAULUS vero interpretatur *os tuba*, vel *os eorum*, seu *electum mirabile*, vel *electionis miraculum.* vel a *pausa*, quod est *requies* hebraice & *modicus* latine. Rabanus vult, quod antea dictus est SAULUS, a *Saule* rege superbo: sed post conversionem vocatus est PAULUS, quasi *parvulus*, à modico & humili spiritu. Unde & nomen suum interpretando dicebat, *Ego sum minimus Apostolorum.* &c.

30. —

JULIUS.

1. —
2. —
3. —
4. —
5. —
6. —

7. —
8. —
9. —
10. —
11. —
12. —
13. MARGARITA, dicitur a preciosa quadam gemma, quæ est candida, parva & virtuosa. Sic beata Margaretha fuit *candida*, per virginitatem: *parva* per humilitatem, *virtuosa*, per miraculorum operationem.
14. —
15. —
16. —
17. ALEXIUS, dicitur ab *a*, quod est *valde*, & *lexis*, quod est *sermo*. Inde Alexius, quasi valde in verbo Dei robustus.
18. —
19. —
20. —
21. PRAXEDIS, dicta quasi *viridis*, à *prasin*, quod est *viride*. Inde Praxedis, quasi *prasin, virens*, quia viruit & floruit flore virginitatis.
22. MAGDALENA, dicitur quasi *manens rea*, scil. ante conversionem, per obligationem ad pœnam æternam. Vel interpre-

terpretatur *munita*, vel *invicta*, scilicet in conversione, per pœnitentiæ armaturam. Optime enim omnibus armis pœnitentiæ se munivit, quoniam quot in se habuit oblectamenta, tot de se reperit olocausta. Vel *magnifica*, scilicet post conversionem, per gratiæ superabundantiam. Quoniam ubi abundavit delictum, superabundavit & Gratia.

23. APOLLINARIS, dicitur a *pollens* & *ares*, quod est Virtus, quasi pollens virtutibus. Vel ab *Apollo*, quod interpretatur mirabilis, & *naris*, per quam intelligitur discretio, quasi mirabilis discretionis vir. Vel ab *a*, quod est *sine*, & *polluo* & *ares*, virtus, quasi virtuosus sine pollutione vitiorum.

24. CHRISTINA, quasi chrysmate uncta. Habuit enim balsamum boni odoris in conversatione; & oleum devotionis in mente: & benedictionis in ore.

25. —

26. —

27. GERMANUS. Dicitur a Germine & *ana*, quod est *sursum*, quasi supernum Germen.

28. —

29. —

30. —
31. —

AUGUSTUS.

1. —
2. —
3. —
4. —
5. DOMINICUS dicitur, quasi Domini custos, vel a Domino custoditus; vel dicitur *Dominicus*, quantum ad etimologiam hujus nominis, quod est *Dominus.* Dominus autem dicitur, quasi donans minas vel minus, vel donans munus. Sic beatus *Dominicus* fuit donans, id est condonans minas, per injuriarum dimissionem: donans minus, per corporis macerationem, quoniam corpori suo semper minus dabat, quam appetebat: donans munus, per libertatis largitionem, quoniam non solum sua pauperibus tribuit, sed etiam se ipsum pluries vendere voluit.
6. SIXTUS dicitur a *syos*, quod est *Deus* & *status*, quasi *divinus status*. Vel a *sisto*, *sistis*, quasi firmus & fixus in fide, passione, & bona operatione.

7. DONA-

7. DONATUS dicitur, quasi a Deo natus vel quasi dono Dei datus.

8. —

9. —

10. LAURENTIUS, dicitur quasi lauream tenens.

11. —

12. —

13. HIPPOLYTUS. Dicitur ab *yper*, *supra* & *lytos*, *lapis*, quasi supra lapidem, id est Christum fundatus. Vel ab *in* & *polis*, *civitas*, quia fuit in civitate superna per desiderium & aviditatem. Vel quasi valde politus, scil. per tormentorum acerbitatem.

14. EUSEBIUS, dicitur ab *eu*, quod est *bonum* & *sebe*, quod dicitur eloquentia vel statio. Vel quasi bonus cultus.

15. —

16. —

17. BERNHARDUS, dicitur ab *er*, quod est *puteus* vel *fons*, & *nardus*, quæ ut dicit glosa super Cantica, herba est humilis, & calidæ naturæ, & odorifera. Fuit enim calidus in ferventi amore; humilis in conversione; fons in doctrinæ emanatione; puteus in scientiæ profunditate; & odoriferus in famæ suavitate.

18. —

18. —

19. —

20. —

21. —

22. TIMOTHEUS, quaſi timorem tenens, vel a *timore*, & *theos*, quod eſt Deus, quaſi timor Dei.

23. SYMPHORIANUS, dicitur a *ſymphonia*. Fuit enim tanquam vas muſicum, emittens armoniam virtutum.

24. BARTHOLOMÆUS, interpretatur filius ſuſpendentis me, vel filius ſuſpendentis aquas. Dicitur enim à *bar*, *filius*, & *tholos*, *ſummitas*, & *moys aqua*. Et eſt nomen Syrum & non Hebræum.

25. —

26. —

27. —

28. AUGUSTINUS hoc nomen ſortitus eſt, vel propter excellentiam dignitatis, quoniam, ſicut imperator Auguſtus præcellebat omnes reges, ſic & iſte excellit omnes doctores. Vel propter fervorem dilectionis, quoniam ſicut menſis Auguſtus valde fervet æſtu caloris; ſic & ipſe valde incaluit igne divini amoris. Vel propter etymologiam nominis, dicitur enim ab *augeo* & *aſtin*, quod eſt civitas, & *ana*, quod eſt

est sursum. Inde Augustinus, quasi augens supernam civitatem. Unde de illo cantatur: Qui prævaluit augere civitatem Dei.

29. —
30. —
31. —

SEPTEMBER.

1. ÆGIDIUS, dicitur ab *e.* quod est *sine* & *geos*, terra, & *dyan*, quod est clarum sive divinum.
2. —
3. —
4. CORNELIUS, interpretatur; intelligens circumcisionem. Vel dicitur a *cornu*, & *leos*, quod est populus, quasi cornu i. e. fortitudo populi.
5. —
6. —
7. —
8. —
9. —
10. —
11. —
12. —
13. —

14. —

14. —
15. —
16. EUPHEMIA, dicitur, ab *eu*, quod eſt *bonum*, & *fœmina*, quaſi bona fœmina, id eſt utilis, honeſta & delectabilis. Vel quaſi eufonia, quod eſt ſuavis ſonoritas.
17. —
18. —
19. —
20. —
21. MATTHEUS dicitur a *magnus* & *theos*, quod eſt *Deus*, quaſi magnus Deo. Vel a *manus* & *theos*, quaſi manus Dei.
22. MAURICIUS, a *mari* & *cis*, quod dicitur vomens, vel *durus* & *us*, quod interpretatur conſiliator vel feſtinans. Vel dicitur a *mauros*, quod ſecundum Iſidorum græce dicitur nigrum.
23. —
24. —
25. —
26. CYPRIANUS, dicitur à *Cypro*, quod eſt mixtura, & *ana* quod eſt ſurſum. Vel a *cipro*, quod eſt mœſtitia vel hæreditas.
27. DAMIANUS, & COSMAS. Dictus eſt *Damianus* a *Dama* quadam beſtia, quæ humilis eſt & manſueta. Vel a *dogma*, quod

quod eſt doctrina, & *ana*, ſurſum. Vel a *damum*, quod eſt ſacrificium, vel quaſi Domini manus.

COSMAS, vero dicitur a *Coſmos*, quod eſt forma vel ornatus. Vel ſecundum Iſidorum, coſmus dicitur græce: mundus Latine.

28. —

29. —

30. HIERONYMUS, dicitur a *gera*, quod eſt ſanctum, & nemus, quaſi ſanctum nemus: Vel *noma* quod eſt Lex. Unde dicitur in legenda ſua, quod Hieronymus interpretatur ſacra lex. Fuit enim ſanctus, h. e. ſanguine tinctus, per dominicæ paſſionis meditationem. Interpretatur etiam *Iheronymus*, viſio pulcritudinis, vel dijudicans locutiones: & lex, propter regularem diſciplinam, quam monachos ſuos docuit.

OCTOBER.

1. REMIGIUS, dicitur à *remi*, quod eſt paſcens, & *geos*, terra; quaſi paſcens terrenos doctrina. Vel a *remi*, quod eſt paſtor & luctator. Vel a *remige*, qui eſt navis ductor vel rector. Vel a *remis*, qui

qui ſunt inſtrumenta, quibus navis ducitur, & *gyon*, quod eſt luctatio. Ipſe enim Eccleſiam gubernavit a periculo naufragii, eam duxit ad portum Paradiſi, pro ea luctatus eſt contra inſidias diaboli.

2. —

3. —

4. FRANCISCUS, prius dictus eſt Johannes ſed poſtmodum mutato nomine *Franciſcus* vocatus eſt. Cujus mutationis nominis multiplex cauſa fuiſſe videtur. Primo ratione miraculi cognominandi. Linguam enim Gallicam miraculoſe a Deo recepiſſe cognoſcitur. Unde dicitur in legenda ſua, quod ſemper cum ardore ſpiritus ſancti repleretur, ardentia foris verba eructans, Gallice loquebatur. Secundo, ratione officii divulgandi. Unde dicitur in legenda, quod divina providentia ſibi hoc vocabulum indidit, ut ex ſingulari & inſueto nomine, opinio miniſterii ejus toti citius innoteſceret orbi. Tertio ratione effectus conſequendi, ut ſcilicet per hoc daretur intelligi, quod ipſe per ſe, & per filios ſuos multos ſervos peccati & diaboli debeat francos & liberos facere.

Quarto:

Quarto: ratione magnanimitatis in corde. Nam Franci a ferocitate sunt dicti, quoniam eis inest naturalis feritas, & magnanimitas animorum. Quinto, ratione virtuositatis in sermone, quoniam ejus sermo instar securis vitia incidebat. Sexto: ratione terroris in dæmonum fugatione. Septimo: ratione securitatis ex virtute, & operum perfectione, & honestatis in conservatione. Ajunt enim Franciscas dici signa quædam instar Securium, quæ Romæ ante consules ferebantur. Quæ erant in terrorem, in securitatem & in honorem.

5. —

6. —

7. —

8. SANCTA MERETRIX THAISIS. Hæc post pœnitentiam, e cellula parva, in quam inclusa fuerat à Pafuncio Abbate, ab eodem emissa est his verbis: Non propter pœnitentiam tuam remisit tibi Deus peccata tua, sed quod timorem semper habuisti in animo. Et cum inde illam Pafuncius eduxisset, quindecim dies supervixit, & pausavit in pace.

9. DIONYSIUS, interpretatur vehementer fugiens. Vel à *dya*, quod est duo, &

nisus, quod est *elevatio*, quasi secundum duos elevatus, scil. secundum corpus, & secundum animam. Vel a *Dyana*, quod est *Venus*, scilicet Dea pulchritudinis, & *syos*, quod est, *Deus*, quasi pulcer Deo. Vel, ut quidam ajunt, dicitur a *Dionysia*, quæ, ut dicit Isidorus, est quædam gemma nigra, valens contra ebrietatem. Ante conversionem multa prænomina habuit. Vocatus est enim Ariopagita, a vico, in quo habitabat. Item Theosophus, id est Deum sapiens. Item a Græcorum sapientibus usque hodie dicitur *prerigion tuarami*, quod latine dicitur: ala cœli, quoniam in cœlum ala spiritualis intelligentiæ mirabiliter volavit. Item macharius, i. e. beatus. Item a patria, Jonicus. Augustinus autem in lib. 8. de civit. Dei dicit, quod Jonicum est genus Philosophorum. Quia ergo Dionysius summus erat Philosophus, ideo Antonomasice dicebatur Jonicus.

10. —

11. —

12. —

13. —

14. —
15. —
16. —
17. —
18. LUCAS, interpretatur, ipse consurgens, scilicet ab amore mundi: vel elevans, scil. se in amorem Dei. Vel a *luce*, dicitur; Fuit enim lux mundi Mat. 5. eo quod mundum illuminavit universum.
19. —
20. —
21. —
22. —
23. —
24. —
25. —
26. —
27. —
28. SIMON & JUDAS. Interpretatur *Simon*, Obediens, vel ponens tristitiam.

JUDAS, quasi jubilum dans. Dictus etiam fuit Thaddæus, quasi tam Deus, id est, magnus Deus, scilicet per adoptionem. Item Lebbæus, quasi Lebes, per gratiarum plenitudinem, quoniam quasi olla & vas virtutum & gratiæ esse promeruit.

29. —
30. —
31. —

NOVEMBER.

1. —
2. —
3. —
4. —
5. —
6. LEONHARDUS, dicitur Odor populi, à *leos*, quod eſt *populus*, & *nardus*, quod eſt *herba redolens*, quoniam Odore bonæ famæ populum ad ſe trahebat. Vel, quaſi legens ardua. Vel a *leone*.
7. —
8. —
9. —
10. —
11. MARTINUS, quaſi Martem tenens, i. e. bellum contra vicia & peccata, vel quaſi martyrium unus. Vel interpretatur quaſi irritans, vel provocans, vel dominans.
12. —
13. —

14. —

14. —
15. —
16. —
17. —
18. —
19. —
20. —
21. —
22. CÆCILIA, quasi cœli lilia, vel cæcis via. Vel a *celo* & *lya.* Vel quasi cæcitate carens.
23. CLEMENS, dicitur a *celos*, quod est *gloria*, & *mens*, quasi Gloriosa mens.
24. —
25. CATHARINA, dicitur a *catha*, quod est universum, & *ruina*, quasi universalis ruina. Omne enim ædificium diaboli in ea universaliter corruit. Vel quasi catenula. Ipsa enim sibi per bona opera, quandam cathenam fecit, per quam usque ad cœlum ascendit.
26. —
27. —
28. —
29. —
30. —
31. ANDREAS interpretatur: decorus, vel respondens, vel virilis ab *andron*

quod eſt *vir*. Vel dicitur quaſi *antropos* homo, & *ana*, ſurſum, & *tropos*, quod eſt converſio. Ejus paſſionem Presbyteri & Diacones Achajæ ſeu Aſiæ, ſicut oculis ſuis viderant, conſcripſerunt.

DECEMBER.

1. —
2. —
3. —
4. —
5—
6. NICOLAUS dicitur a *nicos*, quod, eſt *victoria*, & *laos* populus. Inde Nicolaus quaſi Victoria populi, id eſt viciorum, quæ popularia & vilia ſunt: vel quod multos populos vita & doctrina docuit, vitia & peccata vincere. Vel dicitur a *nicos*, quod eſt *victoria*, & *laus*, quaſi victorioſa laus. Vel a *nitor*, & *laos*, quaſi nitor populi.
7. —
8. —
9. —
10. —
11. —
12. —

13. Lu-

13. LUCIA, dicitur quasi lucis via.
14. —
15. —
16. —
17. —
18. —
19. —
20. —
21. THOMAS, dicitur à *thomos*, quod est divisio seu sectio. Vel quasi totus means, scilicet in Dei amore. Unde Thomas, quasi Deus meus: & hoc propter illud, quod dixit, quum certificatus credidit. Dominus meus, & Deus meus. Dicitur etiam Geminus, eo quod resurrectionem Christi quasi geminate & in duplum, quam alii, cognovit. Nam illi cognoverunt videndo: iste videndo & palpando.
22. ANASTASIA, dicitur ab *ana*, sursum & *stasis*, quod est stans sive status: quia sursum stetit à vitiis ad virtutes.
23. —
24. —
25. NATIVITAS DOMINI secundum carnem facta, ut quidam ajunt, completis ab Adam 5228. annis, vel secundum alios 6000. vel secundum Eusebium Cæsariensem: 5199.

26. STEPHANUS Græce. Latine dicitur corona, ſed hebraice norma. Vel dicitur quaſi ſtrenue fans, quod patet in ſuo ſermone. Vel quaſi ſtrenue ſive laudabiliter fans, id eſt inſtruens & regens anus, id eſt, viduas, quibus ab Apoſtolis fuerat præfectus, quæ ad litteram anus erant. Fuit unus de ſeptem diaconibus ab Apoſtolis in miniſterium ordinatis.

27. —

28. —

29. —

30. —

31. SYLVESTER, dicitur a *ſyle*, quód eſt *lux* & *terra*, quaſi lux terræ, ſive Eccleſiæ. Vel a *ſylva* & *theos*, quoniam homines ſylveſtres, i. e. incultos & duros ad fidem Chriſti traxit. Vel ſicut dicitur in Gloſario: Sylveſter dicitur viridis, agreſtis, umbroſus, nemoroſus. Viridis, cœleſtia contemplando; agreſtis, ſe ipſum excolendo. Umbroſus, ab omni concupiſcentia refrigeratus; nemoroſus inter arbores cœli plantatus.

Seque-

Sequentia ex additionibus hiſtoriæ Lombardicæ huc quoque fuerunt addita.

LUDOVICUS, quaſi lucem donans, ſeu lucis dator: ſeu lucis cuſtos: *Icos* enim Græce, dicitur cuſtos Latine.

GENOVEFA VIRGO, a *genos*, quod eſt *natura*, & *efa*, quod eſt, *menſura*, quaſi habens naturalia ad menſuram ſeu plenitudinem. Vel a *genos*, quod eſt *barba* ſeu *virilitas*, & *efa*, *effuſio* ſeu *plenitudo*, quaſi effuſa & plena operationibus virilibus & fortibus.



IX.

M. Jacobi Bruckeri
Analecta ad Vitam Matth. Schenckii. (†)

TIt. *Rectoris.)* Non hunc quidem tunc gerebat titulum, qui reliquis Magistris publice docentibus in Annæano ludo præerat, sed primarii nomine gaudebat. Rectoris enim, vel Ephori potius cum Professoris honore, munus gerebat Wolfius, qui honorarius Doctor Lycei reliquis superadditus erat, cui accessit postea quoque Henischius.

P. 1048. *Nec plane* ἄγραφος.) Est in manibus Viri cujusdam eruditi, ex cujus communicatione præsens exemplum intueor, Historia Scholæ Annæanæ, ab eo tempore, ubi vel Xystus Betulejus vel Ach. Pirm. Gasserus desiit, (ita enim dubie ipse auctor in præf.) A. nempe 1552. ad ann. 1565. stilo sane, quo utebatur Schenckius, nitido, licet simplici, non ea tamen, ut videtur, fini conscripta, ut ederetur.

(†) Vid. p. 1047. sqq. Tom. X.

retur. Singularia enim in eo annotantur: eam rogatus ſcripſit.

P. 1049. *Epitaphium.)* Honorarium poſitum a L. Geitzkoflero, apud Praſchium Epitaph. Auguſt. P. I. p. 211. ubi etiam proprium p. 210. exhibetur.

Ibid. *Die* 21. *Julii ereptus.)* Natus 1517. *Heupold Beſchr. der Lateiniſchen Schule.*

P. 1063. *Joanni Benigno.)* Ecce literas Benigni ad Schenkium.

Optimo & doctiſſimo Viro Matthiæ Schenckio, Conſtanciæ bonas literas exercenti, amico ſuo.

S. P.

Fuit apud nos Tubingæ Syndicus Auguſtanus, his diebus, ut neceſſarios ſuæ Reipublicæ magiſtros ludi conquireret, unum & alterum tales, qui in matrimonio copulatas uxores ſibi haberent, & eſſent ætate, doctrina & moribus ita graves & inſtructi, ut ad juventutem Auguſtanam Græce ac Latine mediocriter informandam ſatis valerent, & alere ſecum etiam diſcipulos privatim vellent ac poſſent. Eos exiſtimavit in ſchola publica reperiri apud nos poſſe. Qua in re falſus eſt opinione ſua,

talem namque a nobis neminem potuit avellere. Ego igitur, cum ex aliis mihi videar jam olim animadvertiſſe, te in tua civitate non optimo loco eſſe, te inter primos nominavi, de quo meo conſilio deberet reſp. Auguſtana in ſuam civitatem & eum locum aſciſcendo cogitare. Et fortaſſis futurum eſt, ut id brevi fiat, etſi neſcio quid facturi ſint. Ego rogatus ab illo Syndico recte & utiliter conſului. Quod ſi futurum eſt, ut tecum ea de re agatur, tui arbitrii totum negotium erit. Ego nihil aliud ſpectavi, quam reip. Auguſtanæ atque etiam tuum commodum: quod exiſtimavi in eo poſitum eſſe utrisque, Auguſtanis quidem, ſi te ætate & viribus corporis ac valetudine, nec non multa eruditione præſtantem & florentem magiſtrum ſuæ pubis haberent: tibi vero ſi a tam laudata republica ultro ad honeſtam conditionem vocarere: tum aut ex accepta conditione ingens tibi emolumentum fore, aut acceſſurum non parum ad auctoritatem tuam, quam in tua jam republ. habes, ſi repudiaſſes. Videretur enim non contemnenda opera tua, quam etiam aliæ reſpublicæ deſiderarent, & in tua recuſatione eluceret patriæ charitas, qua tuos

cives

cives videreris amplecti, quos nolles deserere, aut opera tua destituere: unde tibi augeri tuam existimationem apud vos necesse est. Hoc meum de te & rep. Augustana consilium, boni, quod quidem spero, consules, & me tui studiosum amabis. Vale. Datæ in die Andreæ anno LII.

T. Joannes Benignus.

Ibid. *Scholarcham.*) Inferiorem; superioris enim dignitatis & auctoritatis tum erant Jacobus Fuggerus, Matth. Welserus, Christoph. Rhelingerus.

Ibid. *Menſe.)* 20. Decembr.

P. 1064. *Literis ipsius.)* Ecce & illas:

Dem Erbaren und wolgelehrten Matthiæ Schencken, Burgern und Lateinischen Schulmaister zu Costniz, meinem lieben Herren und Freund.

Mein freundlich guetwillig dienst bevor, mit erbietung alles guts: Günstiger lieber Herr Schenk, welcher massen ich mit euch den abschied zu Costniz fürgehaltener Condition *halb hab gemacht, hab ich meinen Herren, ains Ersamen Raths, so über die gemainen Schulen geordnet, zu meiner ankunfft, nach längs referiret und angezaigt, welche mir*

 als-

alsbalden befolchen, Euch zuschreiben, das ir fürderlich und unverzogenlich zu ihnen allher, auf Ihren Kosten wellet kommen, angeregter Condition *halben handlung mit ihnen zu pflegen, gelangt derowegen an Euch mein freundlich bitt, Ir wollet also Eurem bewilligen nach auf das bäldest, so euch möglich, allher kommen, und der Sachen einen außtrag machen, was alsdann euch zu guetem thon kan, will ich nit unterlassen, welches ich euch auf gedachter meiner Herren der Oberen schulherren befehl nit hab wollen unangezeigt lassen, dann euch allezeit willig dienst zu erzaigen, bin ich erbietig. Salutiert mir Doctor Michel Maler. Dat. Augsp. d. 12. tag Jan. 1553.*

P. 1064. *Casp. Mendlishoveum.)* Lege Mendlishoferum, civem Constantiensem.

Ibid. *Conditionibus.)* Stipendii floren. 170. etiam rude donando solvendis, & habitationem, cum tertia parte didactri.

Ibid. Mense Julio.) 28. Julii.

Ibid. Familiam.) Uxorem gravidam & liberos septem cum discipulo Wolfg. Zindelino.

P. 1065. *Ac ne doctissimo &c.)* Accepit enim ille tum rude donatus tantum fl. 150.

P. 1067. *Collega.)* Scholarcha quasi.

Ibid.

Ibid. Difficultates.) Quas haud uno libello Scholarchis graviſſima oratione expoſuit.

Ibid. *Scholæ prodeſſes.*) Tum propter ignaviam & inertiam diſcipulorum, tum propter invidiam aliorum, ut ipſe queritur.

Ibid. *Stipendium augeret.)* De qua re extat peculiaris libellus Scholarchis oblatus, quo tandem id extorſit.

P. 1068. *Parva.*) Vix 150. numerum excedens.

P. 1069. *Bibliothecæ inſpiciendæ.)* non tamen Schenckius tum fuit Bibliothecarius ſed Heldus ex Eccleſiaſtarum ordine.

P. 1072. *In clementia Dei.*) Eundem in modum Wolffius in lib. citato ad Scholarchas: *neque Stoicorum nugis explentur vitæ neceſſitates, qui divites eſſe omnes pronuntiant, qui cœlo & terra fruantur: Nam cœli aſpectu & aeris inſpiratione fruuntur vivi & ſani omnes; ſed terram calcare quid prodeſt, niſi fructibus terræ neceſſariis utare? qui cum multiplici pretio veneant, optare facilius, quam ſperare poſſum, ut magiſtri privatis commodis Scholæ utilitatem anteponant.*

1071. *Muſæum conjunctum.*) 1563. M. Decembri, extructis pluteis novis & parieti incluſis.

Ad

Ad Lectores.

Eximendæ mihi jam ſunt ex Aldinarum mearum Tom. X. p. 1171. ſqq. & p. 1196. ſeq. recenſitarum, numero duæ editiones, quas iis ex indicio priſtinorum Poſſeſſorum, quorum liberalitate & illæ & aliæ quædam mihi deſtinatæ erant, inſerui: nempe Ciceronis Rhetoricorum & de Inventione Libri, quorum p. 1183. & Boëthius, cujus p. 1197. memini. Cum enim ea ſcriberem, illæ editiones adhuc in via hærebant. Nactus vero eas, vidi, illud Ciceronis opus Venetiis ad Signum Juriſconſulti A. MDLXXVIII. typis excuſum eſſe, Boëthium autem Florentiæ in officina Juntina A. MDXXI. Sed & hoc diſtinctius memorandum eſt, Iſocratis Orationibus, quarum p. 1197. mentionem habui, adjunctas eſſe tantum Alcidamantis contra dicendi magiſtros, Gorgiæ de laudibus Helenæ, & Ariſtidis de laudibus Athenarum, Urbiſque Romæ Orationes.

